

Ti 40.666 +

1664-1738

EBERTHm Joanne Baptista
Controversiae selectae ex Universo
jure Canonico, Publico, civili, Feudali
Salisburgi, 1698. 160 p. 800--

r.sz. Könyvtárja

reg. Ewald, 189

SB 27.671

SB 27.671

28 54 82

ÁLLAMIGAZGATÁSI FŐISKOLA
T/ko 666
KÖNYVTÁR

2003 h

*Reverendissimo Prænobili,
ac Amplissimo*
Domino Domino
EDMUNDO
CELEBERRIMI, ET ANTIQUISSIMI
MONASTERII AD S. PETRUM SALISBURGI
ABBATI
VIGILANTISSIMO,
CELISSIMI AC REVERENDISSIMI PRINCIPIS
ET ARCHI. EPISCOPI SALISBURGENSIS
CONSILIARIO INTIMO,
STATUUM PROVINCIALIUM SALISBUR-
GENSIUM DEPUTATO,
CONGREGATIONIS BENEDICTINO-SALISBURGENSIS
VISITATORI, ET UNIVERSITATIS IBIDEM
ASSISTENTI PERPETUO &c.
DOMINO DOMINO GRATIOSO,
OBSERVANDISSIMO.



*Reverendissime, Prænobi-
lis, ac Amplissime*

P R Æ S U L,
Domine, Domine Gra-
TIOSE, OBSERVANDISSIME.



*Rationam concede veniã, Re-
verendissime & Amplissi-
me Præsul, Domine Do-
mine Gratiose, Observan-
dissime, &c. & clementer
indulge, ut has Juris Controversias, ve-
lut debitum pietatis meæ anathema, ad
peren-*

perennitatem Honoris Tui aram suspen-
dam; ac deponam in venerando gremio
Tuo Academicum hoc munus, quod,
quamquam tantæ molis non sit, ut Reve-
rendissimum nomen Tuum, quod tam Tui
quam exteri venerabundi suspiciunt, in
fronte præferre debeat; oportuit tamen
inter obsequiorum humilia certamina
meæ quoque devotionis argumentum ex-
tare. Nec est, quòd ob mei tenuitatem
muneris aliquid vel fastidij, vel saltem
perfunctorij affectus subvereri possim:
qui, uti Præsules in vicem Deorum, sic &
in eorum iudicium in religione mortalium
excipienda successisse opinor. Cum igitur
apud istos sincero solius voluntatis af-
fectu amplissimas Cræsurum gazas pauper
æquare possit, tantum abest, ut donarij mei
parvitas ineundæ gratiæ Tuæ spem extin-
xerit, ut potius, tanquam observantiæ ac
pietatis meæ candidissimum pignus, ma-
gis magisque accenderit. Gratulor ergò
mibi,

mibi, meisque applaudo Thesibus, quòd
sub gloriosis auspicijs Reverendissimæ
Amplitudinis Tuæ arenam subeant. Aca-
demicam, sub quibus hætenus tot præcla-
ra Sapientium monumenta non tam æter-
nitatem datura, quam à singulari Tua Vir-
tute & Sapientiâ acceptura, literariæ
transmissa sunt posteritati. Non audeo,
in hujus libelli vestibulo Virtutis Tuæ Pa-
negyrismam agere, ubi non amplius Rhetor-
icæ professor, sed Juris alumnus videri
volo. Quòd si laxandæ essent orationis
habentæ, latissimus pateret campus, in quo
jucundè exspatiari liceret. Imò liberet
etiam, nisi jam in antecessum, quæ Tua est
innata humilitas & modestia, seriò gravi-
tèrque protestatus esses, Te nullatenus
mearum Thesium suscepturum patrocini-
um, si vel umbra alicujus encomij inepti-
stola hac nuncupatoria reluceret. Sed
enim meum tam liberum sub Tua auspi-
cia recursum, si nihil aliud persuadere po-
tuisset,

tuisset, Sanctissima saltem Divos inter Pe-
trum & Blasium necessitudo accelerasset,
quæ jam à tot sæculis, nulla temporis inter-
capedine interrupta, celeberrimum Mo-
nasterium Tuum cum Admontensi Cæno-
bio, arctissimo fœdere copulavit. Verùm
privatæ quoque rationes, & accumulati
sine numero tituli, cum primis tot ingentes
gratiæ, promovendis studijs meis juridi-
cis in hac famosissima Universitate colla-
tæ, ac per biennium gratiosè exhibita ho-
spitalitas, adeò me extimulârunt, ut nisi
easdem publicè confiterer, ingratiſſimum
ab orbe condito me putarem. Sed et
am altissimè impressa memoriæ gratiosa
in me benignitas Tua, quâ mihi præ
multis Candidatis in hac magna orbis A-
cademia & communi Literatorum em-
porio Philosophicam cathedram, cum re-
liqua Reverendissimorum Præsulum co-
rona, in annum proximum decrevisti.
Quas aliàsque gratias, si obscuri silen-
tij

tij tenebris involvere voluissem; meritò
timenda mihi fuisset. severa Cordubensis
Philosophi censura: Quidam furtivè a-
gunt gratias, & in angulo, & ad aurem.
Non est ista verecundia, sed inficiandi
genus. Sanè ab hoc nefando crimine,
ut pulcherrima gratitudinis virtus longis-
simè recederet, semper clientum suorum
studia ad celebranda palàm beneficia sti-
mulavit; nisi fortè oppressum eorum ma-
gnitudine sermonem, & verba gratijs
imparia sentientes, ipsò suò silentiò E-
vergetas venerari maluissent. Quod
profectò ipse nunc in me experior, ac si-
mul gnarus, inferiorum esse, plus facere,
quàm loqui, meritò hîc desino, solum hoc
devotissimi animi votum pro coronide an-
nectens, ut post longævam hanc & vene-
randam canitiem, post clausam feliciter
diuturnæ vitæ periodum, tandem ventu-
ra sæcula de Te illud Nazianzeni orat. 19.
ingeminare possint: Quemadmodum
fol

sol matutinis radijs in oculos suavissimè
incidens, meridianis fervidior & splendi-
dior stat, eodè modo ille, cùm haud parva
pietatis officia primùm ostēdisset, postre-
mo lumine magis splenduit. *Vale igitur*
Præsul Reverendissime, & me, cum sub-
mississima reverentia has Theses offeren-
tem, ulterioribus gratiarum radijs collu-
strare nunquam desiste.

REVERENDISSIMÆ

AMPLITUDINIS TUÆ

Humillimus Servus

P. COELESTINUS ROMOSER
ADMONTENSIS.

103(1)



P R Æ F A T I O.

HA profectò aut humanæ conditioni in-
nata est indoles, aut naturæ corruptæ
legitimus partus, ut, quidquid dicunt
multi, huic contradicant plurimi, fa-
ciliores plerùmque ad controverten-
dum, & ad contradicendum proniores, quàm
ad concedendum. Et sanè cùm potissimùm solis
illis, quibus nihil scire pro lege est, & lex nihil sci-
re, non alia quàm *ita*, & *nescio* legalis sit responsio,
hinc neque omninò, neque semper hoc hominum
contradicientium genus, ac genium jure culpaveris,
sed laude potius vel ideò exornaveris, quòd fre-
quentissimum id soleat esse iudicium non tam
malignantis, quàm doctrinâ, scientiâ, & pruden-
tiâ abundantis naturæ; non tam levitatis, quàm
fœcunditatis tum excultioris ingenii, tum sagacioris
iudicii, quibus, ut facilè ratio in contrarium inve-
nitur, ita facilè habetur, unde contradicatur. Huic
igitur nos Genio calamum accommodaturi *Jus*

A

Con-

Controversum parum per ingressi *Controversias* inde *Selectas* in publicum proferimus, ex eo quoque fine, ut, si cui forsan in contradictionem dentes pruriant, gustui suo indulgeat, & sine morfu tamen, in publico contradicat.

CONTROVERSIA I.

An S. Pontifici competat jurisdictio temporalis in Reges, & Principes sæculares, eorumque bona temporalia.

SUMMARI A.

1. *Jurisdictio, & jus dicere quid?*
2. *Jurisdictio alia Ecclesiastica, alia temporalis.*
3. *Utraque alia suprema, alia non suprema.*
4. *S. Pontifex habet supremam jurisdictionem spirituales pro tota Christianitate.*
5. *Habet etiam plenam, & supremam jurisdictionem temporalem in ditionibus Ecclesie propriis.*
6. *Propositur status Controversia.*
7. *usque 17. Adducuntur rationes pro sententia negativa.*
17. *usque 24. Argumenta Affirmativa.*
24. *Adstruitur sententia media, quam amplectimur.*
25. *& seqq. Variæ huius probationes.*
35. *Responsio ad contraria remissivè.*

ARduam sanè de summis Capitibus hanc statim in capite advertis Controversiam, & multorum dissensionibus intricatissimam, aded ut vel hanc ipsam de causâ, ac præ nimiam ergâ SS. Principes reverentiâ, & inclinatione calamus cursum suum refrænare potius, quàm fræna laxare deberet. Sed tamen quia hoc ipsum agere intendimus, ut controversias, & dissensiones proferamus in publicum, parum inprimis nos tardat, quin potius delectat, & delectatione suâ trahit, ac promovet dissentientium varietas. Supremas verò

Author-

Authoritates per omnia illas, intactasque nos servaturos, ac vel inde convenienter eas nos veneraturos confidimus, si flexo illis in reverentiam poplite, non tam modo judiciatio firmum quid statuendo, quàm Doctorum opiniones, alias valde suas, quasi in compendio referendo, nostramque desuper mentem insinuando, ab ipso Ecclesie universalis Capite, S. Pontifice, ejusque suprema potestate exordiamur. Et verò ne uno velur impetu, ac ita non nihil inconsultò Controversiam irruere videamur, lubet hinc paulisper in limine subsistere, & in ordine ad faciliorem accessum pauca quædam circa jurisdictionis *definitionem, & divisionem* explanare.

Igitur Jurisdictio genericè, & latè accepta communiter **I** definiti consuevit, quod sit *potestas de publico introducta cum necessitate juris dicendi, & æquitas statuenda.* Gloss. in l. 1. V. *potest. ff. de Jurisdic. Panorm. in c. quod sedem, 10. n. 5. de Off. Jud. Ord. Sylvest. in Summa V. jurisdictio. n. 1.* Porro jus dicere est non solum sententiam pronuntiare, & definire, quid jus, æquitasque contineat, sed legibus quoque, ac præceptis gubernare, & universim jus, & justiciam administrare. Molin. de J. & J. tract. 4. disp. 2. n. 1. Ubi tamen n. 5. prædictam Jurisdictionis definitionem, quamvis à Jurisperitis communiter receptam, nonnihil culpate audet, quasi nec apta, nec cauta, nec omnem jurisdictionem comprehendat, propterea quod jurisdictionis Ecclesiastica non de publico, id est, autoritate Reipublicæ introducta, sed à Christo collata sit, neque omnes jurisdictione præditi necessitatem habeant juris dicendi; Unde cum Tutrecremata, & Alfonso de Castro aliam statuit definitionem dicens: *Jurisdictionem latissimè sumptam esse facultatem, seu jus faciendi unumquemque circa ea, quæ sibi tanquam Superiori subdun-*

A. 2

tur,

tur, ea omnia, ad qua munus suum Superioris se extendit. Nostrâ equidem parùm refert, sive hanc, sive illam amplectaris, sive novam tibi fingas definitionem, dummodò plenè intelligas naturam Jurisdictionis, quam in ordine ad nostrum propositum

2. *Discerpimus* in duo membra, & Jurisdictionem aliam dicimus Ecclesiasticam, aliam temporalem, civilem, sæcularem. Jurisdictionem Ecclesiasticam describunt nonnulli apud Martam de Jurisdic. part. 1. c. 17. n. 24. quòd sit potestas spiritualis supernaturalis data Petro, & Successoribus eius à Christo ad regendum, & dirigendum eam directè in supernaturalibus quò ad finem supernaturalem supremum, & ultimum per rationem naturalem, qua directè solam amplectitur supernaturalia, indirectè verò, sive in ordine ad supernaturalia, amplectitur etiam animalia naturalia, quatenus sunt necessaria ad consequitionem finis supernaturalis, ob quem sunt instituta. Ipse verò Marta loc. cit. c. 8. n. 9. & seq. conformiter suæ intentioni inquit: Jurisdictio Ecclesiastica est potestas divina post diluvium Sacerdoti Moyse concessa, atque à Christo ordinata immediatè, & supernaturaliter ad gubernandum fideles secundum legem Evangelicam in supernaturalibus, & quatenus opus est, in temporalibus. Sæcularem autem Jurisdictionem definit, quòd sit potestas divina post diluvium Sacerdoti Moyse concessa ad benè, beatèque vivendum secundum præcepta naturalia, permissa in usurpatoribus, & confirmata in successoribus secundum præcepta naturalia, gentium, & civilia. Atque has suas definitiones pluribus ibidem exponit, & dilucidat, quòd lectorem, si ita libuerit, lubentes remittimus. Nos interim, ut breviores simus, cum Clarissimo P. Roberto König lib. 1. Decret. tit. 31. §. 2. n. 2. & P. Pirthing, cod. tit. §. 1. n. 2. Jurisdictionem Ecclesiasticam dicimus illam, quâ jus
- red.

redditur in negotiis, & causis spiritualibus, & Ecclesiasticis; Sæcularem verò, qua versatur circa causas temporales, & profanas, iisque justitiam administrando immoratur. Rursus

Dispecimus Jurisdictionem tum Ecclesiasticam, tum temporalem in supremam, & non supremam. Illa dicitur, quæ majorem se non habet, sed ipsa saltem in eodem ordine summa est, & plenissima. Hæc appellatur, quæ majorem supra se habens nes summa est, nec plenissima, sed à superiori dependet. Illa residet penes supremas Potestates S. Pontificem, Imperatorem, Reges, aliòsque Principes, qui superiorem se non recognoscunt: hæc penes Magistratus inferiores superiorem recognoscentes. Quibus ita prælibatis

Pro certò tenemus primò: S. Pontifici competere supremam jurisdictionem Ecclesiasticam pro tota Christianitate in omnes planè fideles, etiam Reges & Principes juxta illud Matth. 16. & 18. & seq. Joann. ult. & 15. 16. & 17. ubi eum Christus omnes oves, nullas excipiendo, B. Petro pascendas commiserit, consequens est, nullum de Ecclesia à jurisdictione, legibus, regimine, ac potestate S. Pontificis se eximere posse, prout ampliùs patet, & decisum habetur in c. 2. dist. 22. c. 6. de Major. & obedient. Extrav. 1. Eod. inter Commun. c. 13. de Judic. & ibi Gloss. & DD. unanimiter.

Pro certò tenemus secundò: S. Pontifici non minùs, quàm alijs supremis Principibus sæcularibus in suis Principatibus, competere etiam supremam potestatem, & jurisdictionem temporalem in terris Ecclesiæ Romanæ propriis, quæ nimirum juxta c. 13. & 14. dist. 96. vel ad illius splendorem & auctoritatem, vel in subsidium pro administrandis spiritualibus, jure eidem donatæ sunt, vel quovis alio justo titulo acquisitæ, aded ut ad præfatæ Ecclesiæ, & D. Petri patrimonium plenè pertineant. Hoc, inquam, tenemus pro certo:

quia omnem planè dubitandi rationem nobis adimit, quòd potestas secularis tanquam subordinata optimo foedere jungi possit, & stare in eodem subiecto cum potestate Ecclesiastica, vult & olim stetit in Moyse *Exod. 18. v. 13.* in Samuele 1. *Reg. 6. 7.* in Machabæis 1. *Machyb. 26.* Hodie verò ita stare noscitur in personis illustribus, quæ ad Episcopatus, aliasque Ecclesiasticas dignitates eveitæ dominia temporalia, in suo patrimonio existentia, relinquere minimè tenentur; quamvis interim curis, & negotiis temporalibus omninò immiscere se non debeant, sed, eatenus saltem, quatenus recta sinit ratio, eorùmq; cura, & munus spirituale patitur, adedò ut iurisdictio temporalis quoad exercitium in personis Ecclesiasticis debeat esse moderata, ne curam, splendorem, & auctoritatem, quam dignitas, ac status cuiusque postulat, aliquatenus excedat. *Arg. c. 1. & h. 2. Ne Cleric. vel Monach.* Sed enim, sicut hæc tenemus pro certis, ita è contra juxta Controversiam supra in principio à nobis propositam in incerto adhuc fluctuare agnoscimus: An S. Pontifici competat iurisdictio temporalis in Reges, & Principes seculares, eorùmq; bona temporalia? Ut tamen clarè, distinctèque appareat, quænam præ aliis verior nobis videatur sententia, hinc omnes cum rationibus suis ordine proponere, ac nostram demum seligere placet.

7 *Prima* igitur sententia absolute negat, & contendit, Papæ in Principes seculares, eorùmq; bona nullam omninò potestatem in temporalibus competere. In cuius probationem adducitur I. Assertum ex ipsomet Christi Domini ore prolatum *Matth. 16. v. 19.* ex quo constat, B. Petro solum traditas fuisse claves regni cælorum; unde quasi sua sponte fluit, totam S. Pontificis potestatem consistere in spiritualibus, nullam verò esse in temporalibus, maximè quòd, sicut

sicut regnum cælorum omninò diversum est à terreno, ita quoque potestas spiritualis toto cælo distet à temporali, illaque concessa hæc è contra vel hoc ipso denegata videatur. II. Quòd ipse Christus Dominus ut homo nullam in regna, & principatus seculares potestatem habuerit, prout clarum perhibuit testimonium in Evangelio *Joann. 18. v. 36.* dicens: *Regnum meum non est de hoc mundo.* & *Joann. 3. v. 17.* non misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum. Quapropter recusavit, nec voluit esse Iudex, aut Divisor hereditatis inter fratres *Luce 12. v. 13. & seq.* neque mulierem in adulterio deprehensam condemnavit *Joann. 8. v. 11.* Ergò hoc ipsum statuendum erit de Papa, & potestas temporalis ei ex toto deneganda, cum solum sit Vicarius Christi. *c. ubi periculum. 3. & ceterum, de Elect. in 6.* neque Apostoli aliter ab eo missi fuisse noscuntur, quàm ipse missus fuit à Patre *Joann. 20. v. 21.* III. Assertur dictum Apostoli 2. *ad 1o Timoth. 2. v. 4.* ibi: *nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus,* quòd ipsum confirmatum, decisumque habetur in *c. 1. in fin. Ne Cleric. vel Monach.* Atqui nemo ex Officio suo plùs Deo militat, quàm Papa; Ergò etiam nemo minùs se implicare debet negotiis secularibus, quàm Papa, proindèque potestas temporalis eidem non tam concessa, quàm interdicta censenda est. IV. Plures adhuc agglomerari solent Scripturæ textus, velut *Matth. 22. v. 12. & Marc. 12. v. 17.* ubi iubentur reddi, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. *Ad Rom. 13. v. 1. & 7.* similiter præcipitur, ut omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: omnibusque reddantur debita: cui tributum, tributum: cui vestigal, vestigal. Eodem modo D. Petrus in *Epist. 1. c. 2. v. 13.* scribit: *Subiecti estote omni humane creatura propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis &c.*

Et

& v. 18. servi jubentur obedire Dominis suis non tantum bonis, & modestis, sed etiam dyfcolis. In d. Matth. 17. v. ult. Christus ipse pro se, & Petro tributum Imperatori solvit; & Act. 25. v. 10. & 12. Paulus ad Caesarem appellavit, ibique sibi competens forum agnovit; aut, si magis aridet, exemplum habes in c. 41. causa 2. q. 7. ubi Leo Papa Imperatoris, eiusque Legatorum iudicio se submisit, inquit: *Nos si incompetenter aliquid egimus, & subditis iustae legis tramitem non conservavimus, vestro, ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare iudicio.* Ex quibus omnibus id demum colligitur, non tam S. Pontifici in Principes, quam Principibus in S. Pontificem jurisdictionem competere. V. Hanc opinionem confirmare juvant c. ult. dist. 36. c. porrò. 14. caus. 16. q. 3. c. convenior. 21. §. quid ergò. caus. 23. q. 8. ubi arma Ecclesiae, & Sacerdotum non gladij, non milites, non exercitus, sed lachrymae, gemitus, & orationes esse dicuntur; idque comprobasse videtur Christus Matth. 26. v. 52. & Joam. 18. v. 11. dum Petri audaciam increpando gladium in defensionem eductum in vaginam converti praecepit, neque Augustum, vel Herodem, quamvis pessimos ab Imperio amovit, ut vel hoc ipso inferre liceat: gladium temporalem S. Pontifici non competere. VI. Plenius robur addunt c. suscipitis. 6. c. quoniam. 8. dist. 10. c. cum ad verum. 6. & c. duo sunt, 10. dist. 96. ubi alia Papae, alia Principibus saecularibus tribuitur potestas, dum asseritur, quod Ecclesia etiam habeat potestatem, & principatum, sed multo perfectiorem, quam sint principatus saeculares; quod duo sint, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas; quodque, postquam ad verum ventum est, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatus attulerit, nec Pontifex nomen Imperatoris usurpaverit: quia Christus utriusque potestatis officia propria discretevit,

discretevit, ita ut Christiani Imperatores pro aeterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus uterentur, quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incurfibus, & ideo militans Deo minime se negotiis saecularibus implicaret. VII. Huc 14. serviant c. novit. 13. in pr. de Judic. & c. per venerabilem 13. v. insuper. Qui filii sint legit. ubi Innocentius III. dicit, quod non velit turbare jurisdictionem Regis Francorum, quodque Rex Superiorem in temporalibus minime recognoscat; Si hoc: ergò S. Pontifici nulla competit potestas temporalis, quâ Regibus, & Principibus saecularibus possit esse superior. Quid quod & Clemens V. disertis verbis asserat, praefatum Regem, Regnum, & Regnicolas Ecclesiae Romanae non esse subjectos. Extrav. meruit. 2. v. nec quod. de Privil. inter commun. VIII. Hujus loci est, quod potestas Principum saecularium non minus, quam potestas Papae ab ipsomet Deo instituta, collataque sit juxta illud Proverb. 8. v. 15. & 16. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes judicant terram.* Prout & Imperator Justinianus in Nov. 6. in pr. & Nov. 73. in pr. §. 1. aperte testatur, dum ait, maxima in hominibus esse dona Dei à superna collata clementiâ Sacerdotium, & Imperium, ac utraque ex uno, eodemque procedere principio, & Imperium de caelo constitutum esse; ergò sicut potestas spiritualis penes S. Pontificem residens in suo ordine suprema est, ita quoque potestas temporalis residens penes Reges, & Principes saeculares in suo ordine haud dubie erit suprema, & per consequens extra sphaeram potestatis Pontificiae. IX. Denique pro pleno hujus Sententiae triumpho certare videtur ratio: quod illa potestas non possit S. Pontifici competere, quae Ec-

clesiæ magis obesset, quàm prodesset, plusquè nocuementi; quàm emolumentum afferret; atqui potestas temporalis in Principes sæculares, eorūque bona temporalia Ecclesiæ plūs obesset, quàm prodesset juxta historias, pluraque exempla, quibus palam est, Principes sæculares diris aliquando percussos tantò audaciores in multorum perniciem detravisse, quantò gravius fensere ictum excommunicationis, qui in ipsam quoque Ecclesiam, Ecclesiæque Caput nonnunquam satis periculosè resultasse noscitur, & Excommunicationes in Henricum IV. Navarræ, Henricum VII. Angliæ Reges, & Elisabetham Angliæ Reginam fulminatæ sufficienti sunt testimonio apud Trithem. in Chron. Hirsang. Adeò ut tandem finaliter concludendum videatur, S. Pontifici præfatam temporalem jurisdictionem nullatenus competere. Atque ita circa annum 1682. declarasse Conventionem Parisiensem refert Author *Regalis Sacerdotii S. Pontifici asserti in Prælod. §. 4. pag. 97. ibi*: Regentes ergò, & Principes nulli Ecclesiæ potestati Dei ordinatione subijci, neque

„ autoritate Clavium Ecclesiæ directè, vel indirectè depo-
 „ ni, aut illorum subditos eximi à fide, atque obedientia, ac
 „ præstito fidelitatis juramento solvi posse.

17 *Secunda* Sententia est absolutè affirmativa, cui suffragium ferunt quàm plurimi tum Civilistæ, tum Theologi, & Canonistæ, quos fuso calamo refert, sequitur, & communio dicit hanc opinionem Doctor Marta *tract. de Jurisdic. part. 1. c. 19. per tot.* nec sine ratione: quoniam in primis ex sacris literis apertum est, Christum Dominum non tantum spirituales, sed & temporales in terris jurisdictionem habuisse, quia data est illi omnis potestas in cælo, & in terra *Matth. ult. v. 18.* constitutusque fuit hæres universorum *ad Hebr. 1. v. 2.* ac vel idè Princeps Regum terræ,
 Rex

Rex Regum, & Dominus Dominantium appellatus *Apocalyp. 1. v. 5. & c. 19. v. 16. Clem. pastoralis. 2. prope fin. de Sent. & re jud.* Ad quid ergò jurisdictio temporalis S. Pontifici deneganda? cum sit successor D. Petri, Rector universalis Ecclesiæ, gregis Dominici Director, & Vicarius Christi generalis. *c. ubi periculum. 3. S. caterum. de Elect. in 6. qualis* procul dubio eandem cum eo, cuius vicarius est, jurisdictionem, & tribunal obtinet. *arg. §. 2. de Consuetudin. in 6. & c. 3. de Appellat. in 6.* *Secundo* Christus instituit rempublicam militantis Ecclesiæ perfectissimam, ad normam, & exemplar Ecclesiæ triumphantis, ut ex Joanne in *Apocal. c. 21. v. 2.* & ex libro *Exod. 25. v. ult.* probat *Gloss. in Clem. ad nostrum. v. Ecclesiæ. de Hæretic.* Quapropter sicut in ista unus solus est supremus Hierarcha, cui omnia perfectissimè sunt subjecta; ita quoque in illa unus solus erit summus Hierarcha, videlicet S. Pontifex, habens totius regimen universi, & ad quem velut ad supremum caput respublica Ecclesiæ militantis tanquam monarchia reducitur, quod tamen minimè fieret, nec regimen reipublicæ Ecclesiasticæ ad unum duntaxat supremum caput, sed ad plura, tanquam monstruosum corpus, reduceretur, nisi Papa æquè temporalem, quàm spirituales jurisdictionem haberet. *Tertio* plura huc referenda veniunt scripturæ loca, ut puta *Matth. 16. v. 19. ibi: quodcumque ligaveris super terram &c. Joann. ult. v. 15. & seqq.* ubi Christus Petro dixit: *pascere oves meas; & Actor. 20. v. 27. attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei;* verbum autem ligare idem sonat, ac legem imponere. *Matth. 23. v. 4. c. alligant. 12. caus. 26. q. 7.* sicut & verba *regere, & pascere* non solum spirituale, sed etiam temporale regimen significant. *2. Reg. c. 5. v. 2. & 1. Paralip. 11. v. 2.* *Quarto* 1. Co. 20
 B 2 *rinth.*

rinth. 6. v. 3. inquit Apostolus: nescitis quoniam Angelos judicabimus. quanto magis secularia, quasi argumentando à majori ad minus diceret: qui idoneus est ad majora, id est, ad judicanda spiritualia, multò magis idoneus est ad minora, id est, ad judicanda temporalia: hæc namque ab illis dependent, & subordinata sunt. ad Rom. 13. v. 1. Extrav. unam
²¹ *sanctam. de Major. & obed. inter commun. Quintò solidum huic sententiæ fulcrum supponunt Nicolaus Papa in c. 1. dist. 22. & Joannes XXII. in Extravag. si fratrum. v. sanè. Ne sed, vacant. ubi aiunt: beato æternæ vitæ clavigero terreni simul, & cœlestis imperii jura commissa esse; putares, nihil solidius, nihil clarius hoc effato: nec immeritò, quòd si enim potestatem temporalem etiam in Reges, & Principes habuerunt Sacerdotes veteris testamenti, ut satis colligitur ex dictis suprà n. 5. & amplius patet ex lib. 4. Reg. c. 11. ubi Jojada Sacerdos Athaliam regno privavit, ac legitimum Regem solio restituit, & 2. Paralip. 26. Rex Ozias lætè percutus ab Azaria Pontifice, & reliquis Sacerdotibus templo ejectus est; quanto magis hæc eadem potestas agnoscenda erit tempore legis novæ in S. Pontifice, qui ex vaticinio Jerem. 1. v. 10. constitutus est super gentes, & regna ut evellat & destruat, & disperdat, & dissipet, & ædificet, & plantet.*
²² *Sextò non minoris efficacitatis argumentum subministrat Bonifacius VIII. in Extravagant. unam sanctam. de Major. & obed. inter commun. ubi S. Scripturam interpretans difficultatis hujus nodum omninò extricare videtur, & decidere, Papæ competere duos gladios, spiritua- lem, & temporalem, quia Christus ad oblatos sibi duos gladios non respondit, nimium est: sed satis est; neque Petro, ut gladium evaginatum abijceret, sed ut in vaginam converteret, imperavit; cujus proinde decisioni tanto ma-*

gis standum, quanto luculentius ex Deuter. c. 17. v. 8. & seq. constat, interpretationem Scripturæ ad S. Pontificem pertinere.

Ultimò hanc opinionem fortiter, longè, lateque
 roborant Jurisdictionis temporalis effectus, qui sunt instituere, destituere, transferre, judicare, plantare &c. quæ omnia S. Pontifici in Reges, & Principes, eorundemque ditiones competere in comperto est: siquidem Stephanus Papa II. anno Domini 776. dum Constantinus & Leo eius filius, Imperatores Constantinopolitani Ecclesiæ Romanæ ab Astulpho Lombardorum Rege oppressæ denegarent patrocinium, Romanum Imperium à Græcis in Germanos, & nominatim in personam Caroli Magni transtulit, isque à Leone Papa III. lapsis post translationem quindecim annis coronatus est. c. venerabilem. 34. & ibi Gloss. v. transtulit. de Elect. Deinde, ut refert Molin. de J. & J. tract. 2. disp. 24. n. 6. & seqq. coactâ Romæ synodo in præsentia Ottonis III. Germanorum Imperatoris decretum fuit, ut deinceps futurus Imperator à septem Germanis Principibus, videlicet tribus Ecclesiasticis, Moguntino, Coloniensi, ac Trevirensi, & quatuor sæcularibus, nempe à Comite Palatino, Duce Saxonie, Marchione Brandenburgensi, & Rege Bohemie, pro tunc Duce, eligeretur; Papa verò reservavit sibi examen, approbationem, confirmationem, unctionem, & coronationem in sic electum Imperatorem, & Electoribus discordantibus auctoritatem suam interponit. d. c. venerabilem. In Imperio superioritatem obtinet, eoque vacante Imperatori succedit, juramentum fidelitatis ab eo recipit, eum, sicut & alios Reges, judicat, deponit, sententias eorum annullat, & subditos à juramento fidelitatis absolvit. c. tibi Domino. 33. dist. 63. c. ad Apostolica. 2. v. nos itaque. de Sent. & re jud. in 6. Clem. pastoralis. 2. v. ut igitur. Bod. Clem. un.

de Jurejurand. Extravag. si fratrum. Ne sed. vacant. apud Joann. XXII. cum concordantib. In specie verò constat de Zacharia Papa, qui ob inertiam, regendique imperitiam deposuit Hildericum, vel ut alii, Chidericum Regem Francorum, & Pipinum Caroli Magni Patrem regno præfecit. c. alius. 3. caus. 15. q. 6. Constat quoque de Innocentio IV. qui Santio II. Regi Portugallie, quod nimis remissi, & negligentis esset animi, Alphonsum Comitem Boloniensem eius fratrem Vicarium & Administratorem regni constituit. c. grandi. 2. de Supplend. negl. Prælat. in 6. Molin. loc. cit. disp. 29. n. 4. Ex quibus demum ultimata sequi debere videtur conclusio, S. Pontifici utramque jurisdictionem sine hæsitatione competere.

24 Tertia sententia inter duas præmissas, & extremas opinioniones mediat, concluditque, S. Pontifici competere quidem jurisdictionem temporalem in Reges, & Principes, eorumque ditiones, non tamen directè, & ordinariè, quasi orbis Dominus esset, aut nomen Imperatoris, vel Regis sibi vindicare queat, aut Dominium jurisdictionis temporalis ab eo ad Principes derivetur; sed solùm indirectè & extraordinariè, puta, quando, & in quantum id postulat finis supernaturalis, & jurisdictio temporalis ad spiritualem necessaria est, ut si agatur de peccato, vel magno Ecclesie bono. Propugnant verò hanc sententiam integræ quasi Authorum cohortes, quas ordine plusquam militari videre est apud Eugenium Lombardum in Regal. Sacerdot. lib. 1. §. 16. per tot. quibus & ipse cum ingenti argumentorum apparatu in succursum venit, & novissimè auxilium tulit Clariss. P. Robertus König. lib. 1. Decretal. tit. 2. n. 6. quos ambos tanquam nostros in militia juridica strenuos Antesignanos hac in parte nobis sequi, & cum beatis inter duo extrema medium tenere licebit,

licebit, ne potius ignavi, ac de gente leporum nati, quam genuini milites videamur.

Labet igitur pro plenâ in hoc certamine victoriâ pauca quidem, sed probata afferre arma, ex quibus præ primis ad manus venit gladius B. Petri, quem Christus Matth. 26. v. 52. & Joann. 18. v. 11. in vaginam, & in locum suum converti præcipit, quasi diceret, Ecclesie competere quidem gladium temporalem, sed non nisi tempore opportuno, & ubi is gladio spirituali necessarius est. Secundo loco se offerunt alii duo gladii ab Apostolis Lucæ 22. v. 38. allati, quos Christus similiter non omnino abiicere jussit, sed quasi in omnem eventum satis esse asseveravit. His succedunt arma Pauli, dum 2. Corinth. c. 10. inquit, arma militie sue esse potentiam Dei ad destructionem munitionum, & quod possit destruere consilia, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in promptu habere ulcisci omnem inobedientiam; ergò etiam altitudinem, & inobedientiam summorum Principum, si adversus Deum, & Ecclesiam, vel alias injustè se extollere præsumant. Post arma Pauli rectè huc adducuntur Canones supra n. 13. 14. 21. & 22. relati, ex quibus sequens extorquetur argumentum: illa potestas non competit Papæ, quam ipsi SS. Pontifices sibi non competere agnoscunt; atqui potestatem, & jurisdictionem temporalem directam in Reges & Principes sibi non competere agnoscunt, c. 6. c. 8. dist. 10. c. 6. c. 10. dist. 96. c. 13. de Judic. c. 13. Qui fil. sint legit. Extrav. 2. de Privil. inter comm. ergò hæc potestas Papæ non competit. E contra illa potestas competit Papæ, quam SS. Pontifices agnoscunt, & ex sacris paginis deducunt sibi competere; atqui potestatem temporalem indirectam agnoscunt, eamque sibi in Reges, & Principes competere ex sacris literis deducunt.

ducunt. c. 1. dist. 22. c. causam. 7. *Qui fil. sint leg. c. si duobus. 7.*
S denique. de Appellat. Extravag. un. Ioan. XXII. Ne sed. vacant. &
 30 *Extrav. 1. de Maior. & obed. inter com. ergo hæc S. Pontifici com-*
 petit. *Confirmatur:* talis potestas in Principes sæculares Papæ cõ-
 petit, & competere debet, quæ necessaria est ad jurisdictionem
 spiritualet, ad fœlix regimen totius Ecclesiæ militantis, & ad fi-
 nem supernaturalem: quia concessio sine etiam media, & omnia
 ad contecutionem finis necessaria, concessa intelliguntur. c. 5.
de Off. deleg. l. ult. §. 1. ff. de Off. eius, cui mand. est jurisd. l.
2. ff. de Jurisd. Sed sola potestas temporalis indirecta ita
 necessaria est: quia per hanc in ordine ad finem supernatu-
 ralem Papæ jam omnia subduntur; non verò directa, & ordi-
 naria, utpote quæ finem merè politicum, & naturalem re-
 spicit, atque hoc respectu à potestate S. Pontificis non de-
 pendet, ut pulchrè deducit Molin. *de J. & J. tract. 2. disp.*
 31 *29. n. 24.* ergò. Præterea tunc S. Pontifex quò ad ditio-
 nes Regum, & Principum, eorùmque bona temporalia jus
 dicere potest, si magistratus sæcularis, qui iustitiam admi-
 nistret, deficiat, vel si officio suo ritè, & secundùm jura non
 fungatur. c. licet. 10. *de Foro compet.* vel si leges ferat juri di-
 vino, aut naturali contrarias, aut Ecclesiæ nocivas. *arg. c. 1.*
dist. 10. & c. fin. de Prescript. vel si per viam denuntiatio-
 nis Evangelicæ causa ad Ecclesiam tanquam ad commune
 asylum deferatur. c. novis. 13. *de Judic.* Sed hæc est juris-
 dictio, & potestas temporalis quidem, non tamen directa, sed
 indirecta, & extraordinaria; ergò hanc habet S. Pontifex.
 32 *Cerè si vel unicum textum in c. per venerabilem. 13. 7. ratio-*
nibus. Qui fil. sint legit. parumper inspicias, confestim qua-
 si ad oculum pro evincendâ, & huic sententiæ adjudicandâ
 palmâ liquidissimum patebit argumentum ex distinctione,
 quam Innocentius III. ibidem affert, dicens: quòd super pa-
 trimonio

trimonio Ecclesiæ plenam, id est, tam directam, quàm in-
 directam, in temporalibus potestatem gerat; in aliis verò regio-
 nibus, certis causis inspectis, temporalem jurisdictionem cau-
 saliter, id est, indirectè tantùm, & extraordinariè, exerceat
 juxta illud Deuter. 17. 7. 8. & seqq. *Si difficile, & ambiguum*
apud te judiciũ esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, cau-
sam & causam, lepram & lepram, & judicium inter portas vi-
deris variari, veniens ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Ju-
dicem, qui fuerit illo tempore: qui indicabunt tibi judiciũ verita-
tem, & facies, quacunq; dixerint. Unde S. Bernardus 1. 33
de Considerat. ad Eugenium hujus sententiæ veritatem omni-
 nõ agnoscens, inquit: *in criminibus, non in possessionibus*
potestas vestra, quoniam propter illa, & non propter has acce-
pistis claves regni calorum. Habent hæc infima, & terrena
Judices suos Reges, & Principes terra. Quid fines aliorum in-
vaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis?
 Quibus verbis S. Pater jurisdictionem temporalem directam
 Ecclesiasticis quidem denegat, approbat tamen indirectam,
 & quando necessitas finis spiritualis id postulat, ut apertè
 patet ex verbis subjunctis, quibus vult: *ut id, quod fieri*
possit, exsequatur per alios: per se autem non nisi incidenter,
 & quando aliud fieri non potest. *Non, ut ait, quia indigni*
vos, sed quia indignum vobis talibus insistere: quippe potiori-
bus occupatis. Denique ubi necessitas exigit, audi, quid cen-
seat, non ego, sed Apostolus. Si enim in vobis judicabitur mun-
dus, indigni estis, qui de minimis judicetis: sed aliud est in-
cidenter excurrere in ista, causâ quidem urgente &c. De qua 34
 ita satis probata S. Pontificis potestate idem S. Pater 2. *de*
Considerat. ad Eugen. eidem quasi applaudit, & multis subli-
 mibus titulis eum condecorat, dum ait: *Age, indagemus,*
adhuc diligentius, quis sis, quam geras videlicet pro tem-
 pore

» pore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos
 » magnus, S. Pontifex, tu Princeps Episcoporum, tu hæres
 » Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, patri-
 » archatu Abraham, Ordine Melchisedech, dignitate Aa-
 » ron, authoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate
 » Petrus, unctione Christus.

35 Atque his ita stabilitis superesset modò, ut argumenta
 primo intuitu adversantia speciatim profligaremus; verùm
 quia plurima eorum vel ex hâc ipsâ nostrâ mediâ sententiâ,
 & rationibus immediatè pro ea adductis resolutionem opti-
 mè recipiunt, hinc tam istis, quàm aliis minoris momenti
 objectionibus, quæ præfaram generalem resolutionem re-
 spuunt; diutiùs immorati pro supervacaneò habemus, ad sin-
 gulas tamen in ipso defensionis actu sciscitanti particulariter
 responsuri.

CONTROVERSIA II.

An Constitutioni à Papa in Concilio
 editæ derogetur per rescriptum contrarium si-
 ne speciali ejusdem Constitutionis
 mentione?

SUMMARI A.

1. Proponitur utilitas Controversiæ. 2. Ad derogationem Epistola de-
 cretalis non requiritur, ut in rescripto contrario specialis eius
 mentio fiat. 3. Requiritur tamen ad derogandum Constitutioni
 Conciliari. 4. Adstruitur sententia nostra, & status Controversiæ
 exponitur. 5. 6. 7. & 8. Proponuntur rationes decidendi. 9. &
 seqq. Solvantur objectiones. 13. In confirmationem nostræ senten-
 tiæ affertur Decisio Rota.

1 PRIMÀ statim fronte, ut opinor, advertis, hujus Contro-
 versis decisionem ad multa prodesse posse in praxi, cum in-
 innu-

innumeræ quasi inveniantur decretales, quas SS. Pontifices
 in Conciliis generalibus edidère, velut in specie sunt pleræ-
 que Constitutiones in Clementinis, quæ Clementi V. in ge-
 nerali Concilio Viennensi tribui solent, & septuaginta capi-
 ta generalis Concilii Lateranensis IV. quæ in Corpore juris clau-
 sa ferè omnia tribuuntur Innocentio III. ut patet ex inscriptio-
 nibus c. 1. de summ. Trinit, & fid. Cathol. c. 12. de Renunt. c.
 59. 60. & 61. de Appellat. Igitur plurimùm interest scire,
 an rescripta, & privilegia, quæ à sede Apostolica contra hujus-
 modi Decretales concedi solent, propter omissionem spe-
 cialis derogationis vitientur, nec ne?

Pro cuius pleniori intelligentiâ præmittendum, & sup-
 ponendum est primò, ad valorem rescripti Apostolici, con-
 tra constitutionem, aut Decretalem epistolam, quam Papa
 extra Concilium edidit, concessi, non requiri, ut in rescri-
 pto ejusmodi constitutioni specialiter derogetur, sed suffice-
 re derogationem generalem, v. g. non obstante aliqua lege in
 contrarium, prout docent Joann. Andr. & Panormit. quos
 refert, eisque adstipulatur Felin. in c. nonnulli. 28. n. 10.
 & fallit novem modis. de Rescript. Imò in privilegiis Apo-
 stolicis quò ad constitutiones Papales nullam planè dero-
 gationis mentionem requiri, evincere videtur ratio: quòd
 privilegium sit lex privata, & contra jus commune. c. 3. dist.
 2. Gloss. in c. 1. v. ut liberè. de Rescript. Ergò de sui natura
 ultra jus comune aliquid operari, eique derogare debet, etsi non
 exprimat. arg. c. in his. 30. de Privileg. c. Abbate. 25. & hic
 autem. de v. s. Unde Bald. in l. item lapilli. 3. n. 8. & ego di-
 co. ff. de D. R. inquit: hoc ipso, quòd Princeps concessionem
 suam vocet privilegium, & Bulla privilegiorum bullatur,
 opus non esse ullâ clausulâ derogatoriâ, cum sic jam latis
 appareat, cum velle infringere jus commune. Idem cum

Baldo sentiunt Hostiens. *in summ. §. quas vires. §. sed potest distingui. de Rescript.* Joann. Andr. & Gemin. *in c. un. de Excess. Pralator. in 6.* Econtra

3. Præmittendum, & supponendum *secundo*, literas, seu rescripta Apostolica, contra constitutionem generalis Concilii emanata, non valere, nisi in illis expressa, & specialis de Concilio facta fuerit mentio, per textus *in d. c. nonnulli. 28. de Rescript. c. eam te. 4. de Ætat. & qualit. & maxime in c. ex parte. 3. de Capell. Monach.* ubi Abbas, & Conventus Rivenensis asserebat, sibi per literas Apostolicas concessum esse, ut in singulis suis Prioratibus singuli Monachi commoventur, si facultates eorum pluribus non suppetant; ad quod Honorius III. respondit, se non credere, hujusmodi literas à sede Apostolica emanasse, quia de Concilio Lateranensi, cui erant contrariæ, nullam fecerunt mentionem: ergo ad hoc, ne rescripta contra Concilia concessa censeantur subreptitia, necessariò in iis de Concilio fieri debet mentio. Cui sententiæ subscribunt Gloss. *in d. c. ex parte. v. nulla mentio.* Oldrad. *in Consil. 326. n. 4. & Consil. 328. n. 1.* Gemin. *in c. 1. de Constitut. in 6. col. 6. §. ego credo.* & alii communiter, inter quos præcipuus est Archid. *in eod. c. 1. §. noscatur. sub n. 2.* quem juxta Felin. *in d. c. nonnulli. n. 3. §. & licet. in fin.* totus mundus sequi videtur; quamvis non ignorem, in partem contrariam deflectere Innocentium *in cit. c. ex parte. de Capell. Monach.* Quibus positis

4. Sententiam *negativam* ambabus ulnis amplectimur concludentes: Constitutioni à Papa in Concilio editæ per contrarium rescriptum Apostolicum non derogari, nisi in hoc specialis de ejusmodi constitutione mentio, & derogatio fiat. Ut ecce! obtinuisti indultum Apostolicum, ut anno ætatis tuæ 26. possis eligi in Episcopum contra constitutionem A-
- lexandri

Alexandri III. Anno 1178. mense Martii in generali Concilio Lateranensi editam, & *in c. cum in cunctis. 7. de Elect.* relatum, cujus in indulto tuo non est facta specifica mentio, nec specialiter eidem derogatum; controvertitur: an vi hujusmodi indulti possis anno ætatis tuæ 26. in Episcopum eligi? Et concludimus negativè, idque nobis probatur

Primo per textum *in c. eam te. 4. de Ætat. & qualit.* ubi apertè prohibetur, ne ullus etiam literarum Apostolicarum obtentu contra decreta in Concilio Lateranensi edita Clericus ordinetur; cum igitur decreta illa in eodem Concilio edita sint à Alexandro III. ut patet ex *d. c. 4. in script. curs. ibi: qua in Lateranensi Concilio edidimus;* & ex inscriptione *d. c. 7. de Elect.* ad quod Alexander Papa *in d. c. 4.* se refert: manifestè sequitur, indultum Apostolicum contra constitutionem à Papa in Concilio editam nullius esse roboris; puta, nisi in indulto ejusmodi constitutioni specialiter fuerit derogatum juxta *c. nonnulli. 28. de Rescript. & c. un. de Excess. Pralat. in 6.* Atque ita consuluit Oldradus *in Consil. 326.* nimirum, nullam esse collationem, quam Papa de dignitate Ecclesiæ Rothomagensis contra *d. c. 7. de Elect. & c. 44. §. Episcopi. Eod.* pupillo fecit: quia dictis constitutionibus, à SS. Pontificibus in Concilio editis, in literis Apostolicis non fuit expressè, & specialiter derogatum.

Deinde textus est *in cit. c. ex parte. 3. de Capell. Monach.* ubi literæ Apostolicæ idèò habentur suspectæ, quia de constitutione Concilii Lateranensis, cui repugnabant, nullam fecerant mentionem; optimo sanè argumento, literas repugnantes constitutioni à Papa in Concilio editæ esse suspectas, & subreptitias censerì, nisi ejusmodi constitutioni expressè, & specialiter derogent: siquidem constitutio, cui hoc in casu literæ repugnabant, edita fuit sub Alexandro

III. in Concilio Lateranensi c. 10. & refertur in c. *Monachi*.
2. de Statu Monach.

7 Præterea autoritas, & præsentia Papæ non minuit, sed potius auget, pleniusque robur conciliat decretis in Concilio generali editis, c. *significasti*. 4. de *Elect.* quia majoris utique autoritatis, & roboris sunt constitutiones Papæ cum Concilio, quàm solius Concilii, aut solius Papæ, ut bene advertit Panorm. in c. 1. n. 4. & *quin imò. de Pact.* Ergò si ad hoc, ut decretis solius Concilii derogetur, necessaria est mentio, & derogatio specialis, talis profectò multò magis necessaria erit ad hoc, ut derogetur constitutionibus editis à Papa, & Concilio simul: ne alioquin contra communem regulam ea, quæ ad majorem actûs firmitatem inducuntur, ad ejus infirmationem conducant.

8 Demùm Constitutionibus Concilii generalis non derogatur per rescriptum contrarium, nisi in hoc specialis de ejusmodi constitutione fiat mentio, & derogatio, per probata suprâ n. 3. Ergò sine tali expressâ mentione neque derogatur constitutionibus à Papa in Concilio editis: hæc namque non tam Papæ, quàm Concilii generalis constitutiones dicuntur, prout evidenter constat ex c. *innotuit*. 20. de *Elect.* ibi: *canon Lateranensis Concilii ab Alexandro. Prædecessore nostro editus.* Ex c. 57. *Eod.* ibi: *juxta formam Concilii generalis*, id est, juxta constitutionem ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi editam, & in c. 42. *Eod.* relatam. Ex c. 18. *Eod.* in 6. ibi: *cùm formam traditam in generali Concilio, & c. 23. Eod.* in 6. ibi: *cùm præter formas, quas generale Concilium*, id est, quas Innocentius Papa in præfato Concilio Lateranensi d. c. 42. *servari statuit.* Ex *Trid. sess.* 22. de *Reformat.* c. 4. ibi: *juxta constitutionem Concilii Viennensis, qua incipit: ut ij.* ubi Concilium Tridentinum constitutionem

stitutionem in *Clem. ut ij.* 2. de *Ætat. & qualit.* innovat, & simpliciter constitutionem Concilii Viennensis appellat, quæ tamen constitutio aliàs simpliciter Clementi V. tribuitur, absque mentione Concilii, ut patet ex *inscriptione d. clem.* 2. ac etiam ex ejus *nigro*, in quò nulla planè Concilii mentio facta est. Plures similes textus reperies in c. *eam te.* 4. *Eod.* in *Concil. Trid. sess.* 7. c. *ult.* & *ss.* 25. c. 8. de *Reformat.* & passim alibi. Attamen contra argumenta sic proposita

9 *Obiicies I.* S. Pontifex constitutionibus, quas in Concilio edit, autoritatem suam impertitur; ergò constitutiones illæ non erunt Conciliares, sed Papales: quia omnia nostra facimus, quibus autoritatem impertimur per c. *si eum.* 9. & c. *si Apostolica.* 22. de *Præbend.* in 6. *Resp.* hoc argumentum esse nimis bonum, ac insuper probare, quòd nulla detur constitutio Conciliaris, cum autoritas, & approbatio Papæ in omnibus Conciliis requiratur, nec aliàs vim, aut robur obtineant. *dist.* 17. per *tot.* & c. *significasti.* 4. de *Elect.* Vel etiam dici potest, S. Pontificem approbatione, & confirmatione constitutiones suas facere quò ad aliqua, puta, quò ad effectum validitatis, ac ita, tanquam ad ipsum principaliter pertineant, non verò quò ad omnia.

10 *Obiicies II.* Quando SS. Pontifices volunt, ut constitutioni à Papa in Concilio editæ non derogetur, nisi in contrario rescripto specialis de ea fiat mentio, tunc id solent nominatim exprimere, velut expressum est in c. 28. de *Rescript.* & dicitur, non valere rescriptum Apostolicum contra illam constitutionem de duabus dietis, quam Innocentius III. in generali Concilio edidit, nisi expressam de illa constitutione mentionem fecerit; ergò si SS. Pontifices id non exprimant, etiam absque speciali mentione ejusmodi

constitutioni derogabitur: quia aliàs, si constitutioni hòc ipso, quòd edita sit à Papa in Concilio, sine expressa eius mentione non derogaretur, clausula illa frustranea foret, & superflua.

Verùm quasi hâc tuâ clausulâ aërem caveæ includere velis, ita mihi videris; cùm te non ignorare existimem, superflua cautelam non nocere, & similes clausulas sæpe sæpius in Iure nostro ad maiorem declarationem eorum, quæ tacitè insunt, apponi, prout rectissimè docuit Clariss. D. Doctor Gletle in *Jurisprud. fundam. lib. 1. tit. 2. c. 4. §. 2. n. 6. in fin.*

II *Obijcies* III. Ratio, cur constitutioni Conciliari sine speciali eius mentione non derogetur, stat in libertate, in pondere, & maturitate, quâ propter plurium sententias in idem concurrentes, & convenientes edita censetur; atquæ hæc ratio cessat in constitutionibus à Papa in Concilio editis: partim quia reverentia, præsentia Papæ debita, præfatam maturitatem, & libertatem videtur aliquomodo minuere. *arg. c. 1. caus. 8. q. 2. & c. 1. caus. 16. q. 2.* partim quia discrepantibus sententiis inter Papam, & Concilium sententia Papæ prævaleret juxta Gloss. in *c. in istis. 3. v. judicent. dist. 4. per c. nemo. 13. & c. cuncta. 17. caus. 9. q. 3.* Ergò. Sed parùm, ut video, hoc tuo discursu evincis: quia verum non est, per præsentiam Papæ libertatem Concilii minui, cùm ex actis Conciliorum satis pateat, articulos etiam præsentis Papæ summâ cum maturitate, & deliberatione in ijs discussos fuisse, velut exemplo est Concilium Florentinum, cui præsedit Eugenius IV. eoque præsentis gravissimæ Græcorum contradictiones intervenère. Quòd autem discordantibus opinionibus sententia Papæ prævaleat, prorsus nihil refert: vel enim hoc in casu Concilium contradicit, vel tandem sententia

rentia Papæ consentit. Si prius: constitutio non erit Conciliaris, sed solius Papæ, ac propterea in literis Apostolicis nulla requiretur specialis eiusdem derogatio. Si posterius: constitutio non tantùm erit Conciliaris, sed insuper propter conflictum opinionum majori cum deliberatione, & maturitate edita censetur. *arg. Extrav. 2. v. nos autem. & ibi Gloss. in v. aperitur. & v. disputare. de v. s. apud Joann. XXII.* atque adeò magis illi derogandum, quàm si à solo Concilio edita fuisset.

Obijcies IV. Constitutionibus Papæ derogatur per contrarium rescriptum, quamvis in hoc non fiat specialis de eiusmodi constitutione mentio, & expressa derogatio, ut probatum fuit supra n. 2. Ergò etiam ita, & eodem modo derogatur constitutionibus à Papa in Concilio editis: quia hæc reverè dicuntur constitutiones Papæ per textus apertos tum in *c. 22. de Elect. in 6.* ubi constitutio *c. 14. Eod. in 6.* edita à Gregorio X. in Concilio Lugdunensi simpliciter appellatur statutum Gregorij X. Tum in *d. c. 14.* ubi Canon ab Alexandro III. in Concilio Lateranensi editus, & relatus in *c. 7. X. Eod.* appellatur simpliciter Canon Alexandri III. absque Concilii mentione. Tum in *Trid. ss. 7. de Reformat. c. 4.* ubi constitutio *c. de multa. 28. X. de Præbend.* absque ullâ Concilii mentione simpliciter constitutio Innocentii III. appellatur, tamen ab eodem Pontifice edita fuerit in Concilio generali, ut patet ex ejusdem *c. 28.* inscriptione. Tum denique, quia pleræque Clementinæ, quamvis omnes ferè editæ fuerint à Clemente V. in Concilio Viennensi, tamen simpliciter inscriptæ sunt per dictionem *Idem*, quemadmodum in specie inscripta est *Clem. quia contingit. 2. de Relig. domib.*

Resp. Sub distinctione: constitutionibus Papæ derogatur

tur per contrarium rescriptum, quamvis in hoc non fiat specialis, & expressa ejusmodi constitutionum derogatio, si constitutiones sint Papæ, & Concilii simul, prout sunt constitutiones à Papa in Concilio editæ, negatur; si constitutiones sint solius Papæ, prout sunt Epistolæ decretales, & Extravagantes, conceditur antecedens, & negatur consequentia. Quod verò quædam constitutiones, à Papa in Concilio editæ, dicantur constitutiones Papæ, parùm nos angit: siquidem id saltem respectu denominationis procedit, quatenus nimirum constitutiones illæ nomine Papæ præstentis eduntur, & ab eo tanquam à digniori, & principaliori denominationem accipiunt, nisi ipse, ut Concilio tribuantur, ad imitationem B. Petri quandoque ex humilitate consentiat per tradita à Prosp. Fagnan. in c. 1. n. 4. & seqq. de Pactis. Quapropter ex hoc inferri nequit, constitutiones à Papa in Concilio editas non esse Conciliares in ordine ad necessariam specialem earum derogationem: ad hæc enim satis est, si in constitutionum editione Concilium quoquo modo sive præstando auctoritatem, & approbationem sive consensum, vel consilium impertiendo concurrat.

13. Atque hanc quæstionem ex professo disputarunt Domini de Rota coram Robustero in causa Ulixbonens. decembarum 5. Novembris 1574. an nimirum constitutio in nuper. penult. de Decim. ab Innocentio III. in generali Concilio edita in ordine ad prædictum derogationis effectum si Conciliaris? & re maturè discussâ conformiter nostræ conclusioni resolverunt, esse Conciliarem, ut refert idem

Fagnanus in c. ex parte. n. ult. in fin. de Capell. Mon.

CONTROVERSIA III.

Utrum efficacia legum tum Ecclesiasticarum, tum civilium, saltem ut ordinariè ferri solent, dependeat ab acceptatione populi?

SUMMARIUM.

1. Efficacia legum Ecclesiasticarum per se non dependet ab acceptatione populi.
2. & 3. Neque efficacia legum Civilium ita dependet.
4. Adstruitur sententia affirmativa, eiusque Patroni.
5. 6. 7. & 8. Horum rationes.
9. Sententiam negativam qui teneant?
10. & 11. Ex quo fundamento?
12. Subscribitur sententia negativa.
13. 14. 15. & seqq. Enervantur contraria.

Adverto, & dico I. Efficacia legum Ecclesiasticarum per se non dependet ab acceptatione populi. Ratio est: quia potestas condendæ legis Ecclesiasticæ soli Petro, eiusque successoribus generaliter, & absque limitatione ad consensum, & acceptationem populi concessa fuit, ut constat ex Matth. 16. v. 19. & Joann. ult. v. 16. & seqq. aded ut Papa populum ad legis acceptationem, & observantiam omnino obligatum habeat; ergò efficacia legis Ecclesiasticæ non dependet à voluntate, & consensu populi: cum aliàs præfata potestas non soli Papæ, sed etiam populo competeret, quod, sicut Scripturæ manifestè est contrarium, ita quoque aperte falsum esse dignoscitur.

Adverto, & dico II. Neque efficacia legum civilium, quæ à supremo Imperii Romani Principe conduntur, per se à populi acceptatione dependet. Ratio est: quod populus lege Regiæ omnem potestatem, omnèque imperium suum

D 2 in

in Principem transtulerit. §. 6. *Inst. de. J. N. G. & C. l. 1. in princ. ff. de Constit. Princip.* Ergo etiam potestatem ferendarum legum transtulit, & per consequens populo præter obligationem obtemperandi, & leges acceptandi nihil remansit. *Confirmatur*: Si efficacia legum dependeret à libera populi acceptance, tunc populus legem à Principe promulgatam liberè, & licitè etiam absque ullà causà repudiare, & recusare posset; atqui hoc indubitanter veritati repugnat: siquidem Alexander VII. die 24. Septembris Ann. 1665. tanquam temerariam damnavit sequentem propositionem: *Populus non peccat, etiamsi absque ullà causà non recipiat legem à Principe promulgatam.* Ergo. Quibus ritè intellectis

4 *Affirmativè* concludunt Navarrus, Driodo, Armilla, Azorius, & Rodriguez apud Laymann *Theolog. Moral. lib. 1. tract. 4. c. 3. n. 1.* quos ex Clarissimis meis Dominis Collegis secuti sunt P. Robertus König lib. 1. *Decret. tit. 2. §. 9. n. 21.* & Ernestus Fridericus à Somering *in Introd. in univers. jus. lib. 1. tit. 2. n. 74.* Nec sine ratione: cum utroque jure tum Canonico, tum Civili aperti pro hac parte videantur textus, quorum primus *in c. in istis. 3. §. leges. dist. 4.* ubi expressè sequentia leguntur formalia: *leges instituuntur, cum promulgantur. firmantur, cum moribus utentium approbantur.* Sicut enim moribus utentium in contrarium nonnulla leges hodie abrogatæ sunt: ita moribus utentium ipsa leges confirmantur. Ergo confirmatio, approbatio, & per consequens efficacia legum dependet ab acceptance populi utentis. *Secundum* textum subministrat *c. cum olim. 6. de Cleric. conjugat.* ubi Innocentius III. perspicuè inquit: Græcos votò continentie eà de causà non teneri: quia Orientalis Ecclesia votum illud non admisit; ergo S. Pontifex manifestè

festè supponit, fuisse in Græcorum potestate, velintne votum continentie admittere, & acceptare, atque adeò acceptando robur, & efficaciam ei tribuere, nec ne. *Tertius* 7 textus est Icti Juliani *in l. 32. §. 1. ff. de LL.* ubi ait, leges ex nullà alià causà nos tenere, quàm quòd iudiciò populi sint receptæ. Planè nihil clarius, nihil apertius pro hac sententia dicere potuisset Julianus, præsertim cum non loquatur de tempore statûs Democratici, sed de tempore statûs Monarchici, quia loquitur de tempore, quo ipse vixit; vixit autem tempore Monarchiæ Antonini Pij, & Adriani, ut vel obiter inspicienti legem. 2. *in fin. ff. de Orig. jur.* patebit. Atque hinc esse videtur, quòd nonnullæ leges dicantur non receptæ; & in specie argumento est Concilium Tridentinum, quòd in Gallia, aliisque pluribus locis eadem de causà ad sui observantiam non stringit, ac idèd, quòd juxta præcitatos textus leges ordinariè aliter non soleant ferri, nisi sub tacitâ conditione: *si populus acceptaverit.* Econtra

Negativè resolvunt Castro lib. 1. *de Leg. penal. c. 1. Suarez de LL. lib. 3. c. 19. n. 4.* Barthol. Medina. 1. 2. q. 90. art. 3. *circa fin.* Vasquez 1. 2. *disp. 156. c. 5.* quibus adstipulantur viri Clarissimi P. Ludovic. Engl. lib. 1. *Decret. tit. 2. n. 68.* & D. Doctor Gletle *in Jurisprud. fund. lib. 1. c. 4. §. 7. n. 10. & seqq.* Moventur unico quidem, & brevi, sed 10 efficaci argumento: quia nimirum efficacia legum tum Canonicarum, tum Civilium per se non dependet ab acceptance populi, ut supra n. 1. 2. & 3. probatum est, ergo neque ita dependet viâ ordinariâ, & ex conniventia Legislatoris: quia hujusmodi dependentiæ & conniventie neque in jure Canonico, neque civili ullum habetur solidum fundamentum, aut textus expressus, quò Legislatores declarent, quòd efficaciam legum suarum à consensu populi dependere velint; ac

propterea nec verisimile est, id voluisse: cum nemò potestatem suam, sicut nec jura, vel res suas jactare, sibi ipsi adimere, vel minuire velle censeatur. *arg. l. cum de indebitis 25. in princ. Et per notata ibid. à Gothofred. ff. de Probat.*

11 *Confirmatur*: Efficacia mandati Apostolici non dependet ex voluntate Episcoporum, vel aliorum Executorum, utpote qui mandati recipiendi, & exequendi necessitatem habent, nec possunt pro lubitu suo illud recipere, vel non recipere, etsi aliquod notabile gravamen contineat, sed Papa de ea re certiorari debet, cujus est obligationem vel sumpendere, vel remittere, vel repetere per *c. 5. de Rescript. c. 8. de Fid. instrument. Et c. 6. de Præbend.* Ergò neque efficacia legis à voluntate, & liberà acceptatione populi dependet. *Probatur consequentia*: Idem enim efficacia mandati non dependet ex voluntate Episcoporum, vel aliorum Executorum, quia Papa ad acceptandum, & exequendum mandatum Episcopos obligatos habet, nec speciali aliqua concessione hoc eis remittit: ergò pariformiter neque efficacia legis dependet ex voluntate populi, quia legislator ad legis acceptationem, & observantiam populum obligatum habet, nec speciali aliqua concessione hoc ei remittit.

12 Nos hac ratione ducti, suffultique bonâ pace sententia prioris hanc posteriorem tantò firmiter sustineri posse confidimus, quantò pluribus infirmitatibus laborant textus

13 oppositi. Nam *primus ex d. c. 3. dist. 4.* adductus præterquam quòd vertigine rotetur in capite suo (puta in Authore suo Gratiano, qui sicut non potuit, ita auctoritatem decisivam suo dicto non tribuit) alio insuper accidente laborat eo ipso, quòd solum de legum approbatione, & confirmatione extrinseca, & accidentali ex moribus utentium proveniente loquatur, non verò de intrinseca, & substanti-

tiali,

tiali, quæ ex sola legum institutione, & promulgatione descendit, ut perspicue apparet ex ipsomet textu, ibi: *leges instituantur, cum promulgantur.*

Secundus ex c. 6. de Cleric. conjug. hoc ipso infirmus 14 est, quòd S. Pontifex Græcorum infirmitati ibi solum indulgeat, & propter antiquissimum morem in Ecclesia Orientali receptum, aliasque justas causas toletet, ut *Orientalis in minoribus ordinibus contrahant, Et in superioribus utantur matrimonio jam contracto*; quæ indulgentia trahi non debet ad consequentias, præsertim cum Papa ibi non tangat, aut resolvere intendat quæstionem: an efficacia constitutionis canonicæ ab acceptatione populi dependeat, nec ne? neque supponat, fuisse in potestate Ecclesiæ Orientalis, votum continentia recipere, aut recusare, quod sic ostendimus: Si S. Pontifex in *d. text.* supponeret, Græcos potuisse præfatum votum recipere, vel non recipere, tunc insuper supponere deberet, hoc ipsis competere vel ex natura rei, & quòd efficacia legis Canonicæ per se à populi acceptatione dependeat, vel speciali aliquo privilegio à sede Apostol. hoc eis concessum fuisse; atqui neutrum dici potest. Non prius: quia, ut supra ostendimus, efficacia legis per se ab acceptatione populi non dependet. Non posterius: quia de tali privilegio, aut speciali indulgentiâ, quæ constitutionem *d. c. 6.* præcessisset, ne unicum quidem jota reperendum. Imò Papam populo id ne quidem indulgere posse non improbabile est: quia ejus potestas totam suam determinationem recipit à Jure divino, aded ut neque ex consensu Papæ imminui, aut restringi posse videatur, ut notat Gletle *loc. cit. n. 13.*

Tertius textus tantò debilior est, quantò debilior in statu Monarchico est populi potestas, ac saltém de statu Democra-

mocra-

mocratico, in quo potestas ferendarum legum residebat penes populum, exaudiri, & pro lege in specie sic dictâ accipi debet, utpote quæ eam juris scripti partem denotat, quam *populus Romanus senatorio Magistratu interrogante constituit*, juxta §. 4. *Inst. de J. N. G. & C. l. 7. in princ. ff. de J. & J.* quo sensu verissimum est, leges efficaciam suam ab acceptance populi accepisse. Quod verò *d. l. 32.* hoc sensu accipi possit, nullum videretur subesse dubium: siquidem nihil rari, quod præsertim in narrationibus tempus præsens adhibeamus pro præterito; proinde nihil oberit, quamvis Julianus legem illam scripserit tempore, quo populus Romanus potestate condendarum legum jam fuit destitutus, quia ad statum popularem Reipublicæ Romanæ se retulit, sicut Justinianus Imperator *in d. §. 4.* definitionem legis ad eundem statum accommodavit, quamvis tunc temporis populus jam fuerit exauctoratus.

16 Neque dicas, latam esse disparitatem inter dictum Imperatoris, & dictum Juliani, cum iste loquatur de tempore præsentis, quo videlicet Julianus vixit, ut patet ex verbis: *leges ex nullâ aliâ causâ nos tenent &c.* Justinianus verò *in d. §. 4.* loquatur de tempore præterito dicens: *lex est, quod populus Romanus senatorio Magistratu interrogante constituebat; sicut etiam: Plebiscitum est, quod plebs plebeio magistratu interrogante constituebat.* Neque, inquam, hoc dicas: nam immediatè alium tibi obverto clypeum, puta textum *in §. 5. Inst. de J. N. G. & C.* ubi idem Imperator eodem sensu, & ad eundem statum popularem se referens utitur tempore præsentis, dum ait: *Senatusconsultum est, quod senatus jubet, atque constituit.* Ergò similiter Julianus, tamen usus fuerit tempore præsentis, tamen ad statum popularem se retulisse, ac de eo locutus fuisse censeari potest.

Verùm

Verùm ut hoc in puncto omnem planè dubitationem tibi adimam, sequentes concinno syllogismos: Tunc Julianus *in d. l. 32.* loquitur de statu Democratico, quando loquitur de statu, quo potestas condendæ legis fuit penes populum; atqui loquitur de statu, quo potestas condendæ legis fuit penes populum; ergò loquitur de statu Democratico. *Min. probatur:* Tunc loquitur de statu, quo potestas condendæ legis fuit penes populum, quando loquitur de statu, quo populus ferendarum legum jus habuit, & suffragium; atqui loquitur de statu, quo populus ferendarum legum jus habuit, & suffragium; ergò loquitur de statu, quo potestas condendæ legis fuit penes populum. *Majorem tibi pro ipsâmet veritate esse, nihil dubitamus. Minorem verò ita demonstramus, ut eius plenam veritatem non tantum intellectu capere, sed & oculis videre, imò totis quasi manibus, pedibusque palpare valeas, & quidem ex ipsissimo textu d. l. 32. circa fin.* ubi Julianus dicti sui rationem reddit, mentemque suam apertè declarat, inquiens: nihil interesse, *suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis, & factis?* Quid quæso apertius dicere, aut quomodo expressius mentem suam explicare potuisset Julianus? & an ne quandoque in meridie clariores vidisti solis radios? quam sint verba: *suffragio populus voluntatem suam declaret.* Ergò, ut verbo concludamus, Ictus Julianus *in d. l. 32.* manifestè loquitur de statu populari Reipublicæ Romanæ eo ipso, quod apertè loquatur de statu, quo populus condendæ legis suffragium habet.

Nec mireris, quod quædam leges dicantur non receptæ: hoc enim inde non provenit, quasi efficacia earum dependeret à libera acceptance populi, & quasi non nisi sub tacita conditione: *si populus acceptaverit, ferri soleant;*

E

sed

sed quia Legislatores observationem legis quandoque ex iustis causis non urgent, & sic vim legis aut suspendunt, aut omnino remittunt.

- 19 *Instas* tamen, & pro jam desperatâ tuæ sententiæ salute ultimum hoc paritatis pharmacum propinas, videlicet: infirmitas legis dependet ex voluntate populi, utpote qui per contrarium usum vim legis vel ex toto, vel ex parte infringere, eidem derogare, vel eam abrogare potest per c. 1. & r. 1. de Consuet. l. 32. l. 33. l. 37. ff. de LL. l. 1. 2. & 3. Cod. *Qua sit longa consuetud.* Ergo etiam confirmatio, & efficacia legis à voluntate & acceptatione populi dependet: quia infirmitas & confirmatio legis æquiparantur, & tam ista, quàm illa æqualiter potestati, & voluntati populi tribuitur in c. 3. §. *leges. dist. 4.* ibi: *sicut enim moribus utentium in contrarium nonnulla leges hodie abrogata sunt; ita moribus utentium ipsa leges confirmantur.* Sed quasi sententiæ tuæ toxieum propinâsses, sic vi hujus phatmaci jam jam emoritura totam exhalat animam, tantoque magis exanimis jacet, quanto vivaciore habet spiritus legitima consuetudo, quæ in jure nostro omnino fundata, & approbata est in *dd. 11.* cum e contra, quod efficacia legum ab acceptatione populi dependeat, omni planè fundamento destituatur. Quod autem infirmitas, & confirmatio in *d. c. 3. dist. 4.* æquiparentur, hoc sententiam tuam à mortuis amplius non resuscitabit: quia, ut jam ante respondimus, textus iste neque auctoritatem habet, neque de confirmatione substantiali, sed solum de extrinseca, & accidentali loquitur, id quod pro responsione satis est.

CONTROVERSIA IV.

An peregrini teneantur particularibus constitutionibus locorum, per quæ transeunt?

SUMMARIÆ.

1. *Nomine peregrinorum quinam veniant?* 2. *Constitutiones aliæ communes, aliæ particulares, & quid?* 3. & 4. *An, & quomodo peregrini teneantur legibus communibus?* 5. *Non teneantur legibus sui territorii, si extra illud peregrinentur; & quid, si eâ solum causâ excurrant, ne propriis legibus teneantur?* 6. *usque 11. Casus in quibus peregrini obligantur statutis locorum, per quæ transeunt.* 11. 12. 13. & 14. *Varia circa propositam Controversiam Doctorum opiniones.* 15. *Statuitur nostra: & proponitur facti species.* 16. *usque 26. Rationes dubitandi.* 26. 27. & 28. *Rationes decidendi.* 29. & seqq. *Confutatio contrariorum.*

Premittimus I. Nomine peregrinorum hic intelligi eos, qui ad locum peregrinum venientes absque longiori morâ ab illo discedunt: quod si enim ad longius tempus ibidem commorentur, quasi domicilium contrahunt, & per consequens jurisdictioni, & statutis illius loci subiciuntur, arg. l. *absens hæres.* 19. §. 2. ff. de *Judiciis.* Id quod multo magis procedit, si quis alienum territorium ingrediatur animo perpetuo ibi commorandi, quia tunc verum sortitur domicilium, l. 7. C. de *Incol.* Atque adeo jurisdictioni, & legibus loci indubitanter subicitur. l. 29. ff. *Ad Municipal.*

Præmittimus II. Constitutiones alias esse communes, seu generales, alias verò particulares. *Communes dicuntur, quæ,*

si sint Ecclesiasticæ, pro tota Christianitate: vel si sint civiles, pro toto aliquo regno aut Imperio à supremis potestatibus condi solent. *Particulares* appellantur, quæ ab inferioribus Principibus superiorem recognoscentibus solum pro certa aliqua provincia, diocesi, vel territorio particulari feruntur, & communiter Statuta indignantur.

3 *Premittimus* III. Peregrinos, & advenas existentes extra proprium territorium teneri ad observationem legis communis ibidè vigentis, quamvis hæc in loco domicilii, & in territorio proprio vel ratione contrariæ consuetudinis, vel ex aliâ justâ causâ non observetur. Ratio est: quia lex communis per se ubique, & omnes obligat: quapropter licèt in loco domicilii ob contrariam consuetudinem non observetur, in alio tamen loco, ubi talis consuetudo non viget, obligabit: siquidem consuetudo hæc, maximè cum sit contra jus commune, atque adeò strictæ interpretationis, ab uno loco ad alium extendi non potest. *arg. c. 2. de Constitut. in 6.* Ut ecce! homo Hungarus es, & peregrinus in Germania, venis Salisburgum, hincque, ubi Concilium Tridentinum tanquam jus commune observatur, matrimonium in transitu contrahere intendis; dicimus, te teneri ad observandas solennitates à præfato concilio *in sess. 24. de Reformat. Matr. c. 1.* quò ad denuntiationes, & quò ad Parochi, ac duorum testium præsentiam præscriptas: quamvis in Hungaria, ubi Concilium Tridentinum non viget, ad hujusmodi observantiam non esses adstrictus. Eodem modo civis Mediolanensis es, primis quatuor diebus quadragesimæ extra patriam peregrinus, teneris ad observationem jejuniij, à qua Mediolani existens exemptus esses juxta tradita à Clariss. D. P. Paulo Mezger *Theol. Schol. tom. 2. tract. 8. disp. 35. art. 5. Si 5. n. 31.* Contra

4 *Premittimus* IV. Peregrinos non teneri ad observationem legis communis in loco transitus per contrariam consuetudinem abrogatæ, vel ex alia ratione infirmatæ, aut non receptæ, tametsi lex illa in proprio territorio, & ibi, ubi domicilium habent, observari consueverit. Pro cujus declaratione pone exemplum priori contrarium, & finge, te civem Salisburgensem peregrinari in Hungaria, Anglia, Scotia, Hibernia, Suecia, Saxonia, Prussia, vel aliis partibus, in quibus Concilium Tridentinum aut promulgatum, aut receptum non est; si in tali aliquo loco contrahere velis matrimonium, crede, te ad observationem prædictarum solennitatum non teneri. Ratio est: partim quòd quisvis, licèt non semper obligetur, possit tamen consuetudini locorum se accommodare; partim quòd hoc sit quasi privilegium locale, à quo peregrini non inventiuntur exclusi. Confer Laymann *in Theol. mor. lib. 1. tract. 4. c. 12. n. 3. & 6.* Similiter.

5 *Premittimus* V. Peregrinos in transitu per alienum territorium non teneri particularibus constitutionibus proprii territorii. Ratio est: quia territorium proprium est quasi sphaera activitatis Legislatoris, extra quam nulla ei competit jurisdictio, cum extra territorium jus dicenti impunè non pareatur. *c. 2. de Constitut. in 6. l. fin. ff. de Jurisdic. Acque hoc etiam tunc procedere, si quis studio, ac eâ solum de causâ proprium territorium ad tempus deserat, ne v. g. jejunare, vel sacrum audire teneatur, satis probabiliter cum Sanchez, Fagundez, & Suarez docet Stephan. à S. Paulo Theol. moral. tract. 2. de LL. disp. 4. dub. 3. n. 1.* Pro ratione stat: quòd talis uratur jure suo, ac propterea fraus nulla intercedat. *l. 55. ff. de R. J.* sed sola obligationis fuga, quæ non est contra præceptum, quia præceptum jejunii neminem

minem obligat ad manendum in loco, pro quo jejunium præcipit: Aliter tamen in specie quò ad contractum matrimonialem docet P. Engl. *lib. 4. Decret. tit. 3. n. 20. §. dico IP.* ita ut hunc dicat esse invalidum, si contrahere volentes ad locum, ubi Concilium Trid: non est receptum, hâc solâ de causâ excurrant, ne solennitates *in sess. 24. de Reformat. matrim. c. 1.* præfinitas observare teneantur.

- 6 *Premissimus VI.* Peregrinos teneri particularibus constitutionibus illius loci, per quem transeunt. I. Si constitutiones etiam pro extraneis latæ sint, prout passim ferti solent, & advenis prohibetur, ne hujus, vel illius generis libros, merces, vel arma inferant, aut frumentum evehant.
- 7 II. Si legum particularium observatio ad cavenda damna, & ad conservationem boni publici æquè respectu advenarum, quàm incolarum necessaria sit: quia aliàs sufficienter prospectum non foret indemnitati provinciz. III. Si leges contractibus, aliisque actibus certas formas, & solennitates præscribant: hæc namque regulantur secundùm leges loci, in quo celebrantur. *l. 6. ff. de Evictionib. l. 1. C. de Emancip. liber. & ubi quis contrahit, ibi sortitur forum. c. fin. de For. compet. r. 1. §. contrahentes. Eod. in 6. l. 19. §. 1. & 2. ff. de Judiciis.* IV. Si ex transgressione statutorum daretur scandalum, quòd tamen juxta Dian. *part. 1. tract. 10: resol. 13. & 15.* facile evitari potest, vel occultè contraveniendo, vel dicendo adstantibus, se ad illas leges non obligari. His præmissis

- 11 Variæ sunt circa propositam Controversiam Doctorum opiniones, quarum *prima* dicit, peregrinos particularibus locorum constitutionibus, & consuetudinibus teneri, si sedem figant animo ibi perpetuò manendi. Joseph. Angles relatus à Dian. *tom. 6. tract. 1. resol. 45. §. 1. Secunda*

da distinguit, an peregrini sint in loco alieno permanentes v. g. per aliquot dies, an verò transeunter, ac per modum hospitii, & in transitu, ut puta prandendo, vel pernoctando, ita ut priori casu teneantur, posteriori non etiam, prout volunt Lessius, Suarez, Fillineus, Fagundez apud eundem Dian. *loc. cit. §. 4. Tertia*, peregrinos particularibus locorum legibus adstringi, indifferenter affirmat, & defenditur à nostro Panormit. *in c. consilium, 2. n. 6. de Observat. jejun. à Covarruv. variar. resol. c. 20. n. 8. circa fin. à Navarr. in Manual. c. 13. n. 5. & inferitur tertio. à Ledesm. 1. part. q. 15. art. 2. dub. 2. Sa. V. jejunium. n. 1. Rodriq. tom. 1. Summ. c. 122. conclus. 1. Zoëf. lib. 1. Decretal. tit. 2. n. 33. Clariss. P. Robert. König eod. lib. & tit. n. 15. Quarta ex adver-*

14 so negativa est, & quòd peregrini præter casus, quos supra retulimus, particularibus locorum legibus, aut consuetudinibus non teneantur, contendit, eamque tenent Reginaldus *in prax. tom. 1. lib. 13. c. 17. n. 72. Azorius part. 1. lib. 5. c. 11. q. 3. Avila part. 2. de Censur. c. 3. disp. 2. dub. 3. conclus. 4. §. circa corollarium. Sayrus in Clav. reg. lib. 3. c. 4. n. 15. Coninck 3. part. tom. 1. q. 74. art. 4. dub. 2. Clarissimi P. Ludovicus Engl lib. 1. Decretal. tit. 2. §. 3. n. 31. P. Paulus Mezger Theol. Schol. tom. 2. tract. 8. disp. 35. art. 5. §. 5. n. 34. Joseph. Bern. Gletle in Jurisprud. fund. lib. 1. tit. 2. §. 3. n. 23. Ernest. Frid. à Somering in Introd. in univers. jus lib. 1. tit. 2. n. 68.*

His ultimis hæc in parte nos associare, & in favorem studentium pro gratiosâ facti specie peregrinationem instituire lubet cum illis Philosophiæ studiosis Salisburgensibus, qui in profesto S. Catharinæ in Austriam se conferunt, forsan ut die sequenti non tam festum illius Sanctæ, quàm festum Aristotelis celebrarent sub duplici, Diogenem viderent in dolio,

dolio, Bacchóque in vino Austriaco, Cererique in alba cerevisia tantò hilariores litarent, quantò major fuit commotio præcedens. Igitur altero die mane factò, ut nihil in suo ordine relinquerent, sed ipsum quoque diem inverterent, crateres magnos statuunt, & à prandio auspicantur mane, tam strenuè occupati, ut contra innatam aliàs Studiofis pietatem difficile sibi appareat, sacrum missamve audire: quapropter quia forsàn jam per aliquot septimanas gustârunt, aut saltem à longè subolere ceperunt Casus, Canones, Institutiones, hinc vehementer inter se disputare incipiunt: anne tanquam peregrini ad observationem diei festi, & ad audiendum sacrum ex præcepto, & vi legis ibidem vigentis teneantur?

16 Et videtur aliquibus, quòd sic. I. Per textum *in c. qua contra. 2. dist. 8.* ubi S. Augustinus inquit: pactum inter se civitatis, aut gentis consuetudine, vel lege firmatum nullà civis, aut peregrini libidine violari debere: quia turpis est omnis pars suo universo non congruens.

17 II. *In c. 1. dist. 41* idem Augustinus ait, eum, qui rebus prætereuntibus restrictiùs utitur, quàm sese habent mores eorum, cum quibus vivit, aut intemperantem, aut superstitiosum esse. Unde notat Gloss. *in eod. c. 1. V. vivit*, quòd quilibet se conformare debeat sociis suis in cibo, & moribus.

18 III. *In 1. illa autem. 11. dist. 12.* idem S. Pater: *nec disciplina*, inquit, *ulla est in his melior gravi, prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcunque fortè devenerit: quod enim neque contra fidem, neque contra mores injungitur, indifferenter habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est.*

19 IV. B. Ambrosius ibidem relatus respondit: *cùm Romam venio,*

venio, jejuno sabbatho, cùm Mediolani sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, eius morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. Atque hinc est, quod ait Gloss. *in d. c. 11. V. societate*: nimirum ex hoc originem suam traxisse trivialem illum versum:

*Si fueris Roma, Romano vivito more,
Si fueris alibi, vivito sicut ibi.*

V. *In c. consilium. 2. §. idem de illis. de Observat. jejun. 20* ubi Innocentius III. Bracharensi Archiepiscopo rescripsit, & jussit, ne permittat, ut in partibus suis carnes sumantur in sabbatho, & contrafacientes ad abstinentiam compellat, eò quòd in partibus illis hoc nullatenus fieri consueverit, & quia id ab aliis molestè fertur, atque occasio inde oritur detrahendi; quem textum etiam de peregrinis intelligit Panormit. *in eod. c. 2. n. 6.*

VI. Omnino congruum, & æquitati maximè consentaneum est, ut, qui sentit commodum, onus quoque, & incommodum sentiat, *c. 55. de R. J. in 6.* Cùm igitur peregrini extra locum domicilii existentes sentiant commodum in eo, quòd propriis legibus sint soluti, conveniens quoque erit, ut incommodum, & onus sentiant in obligatione, ac observatione legum illius loci, per quem transeunt; præsertim quia aliàs viderentur, omnino exleges: utpote neque proprii, neque alieni territorii legibus adstricti, id quòd rectæ gubernationi contrarium, & à rectâ ratione alienum apparet.

VII. Leges cujusque territorii tanquam locales immediate locum afficiunt; ergò quicumque in territorio extiterit, sive incola, sive peregrinus sit, æqualiter ad legis observantiam obligabitur: quemadmodum interdicto locali, quòd immediate afficit locum, & per consequens saltem

mediate etiam personas, omnes ad locum interdictum venientes sine differentia obligantur, ut rectè advertit P. Corbin. *Khamm in Pharmacop. August. c. 6. §. 2. n. 399. Coroll. 37.*

23 VIII. Jure genium, & populi consensu introductum, nec non moribus, usque firmatum esse videtur, ut Magistratus in ordine ad felicem cuiusque territorii gubernationem etiam advenas & peregrinos ad observationem suarum legum adstringere, compellere, & contravenientes coercere valeant, nec aliter transitum eis concedere censeantur, nisi sub tacita conditione: *si leges territorii observaverint*; unde & passim videmus, quòd peregrini, qui leges vectigalium, aliasque similes defraudant, à Magistratibus locorum puniantur, sicut & de jure puniri possunt. *l. 1. & auth. quâ in provinciâ. Cod. Ubi de criminib. agi oport.*

24 IX. Vagabundi, seu illi, qui nullibi certam sedem; aut fixum domicilium habent, tenentur legibus particularibus locorum, ad quæ veniunt, juxta doctrinam Reginaldi, & Sanchez apud Bassæum *in Florib. Theol. V. lex. n. 6.* Ergo pariformiter eadem obligatione adstringuntur advenæ, & peregrini: quia aliàs sicut illi, ita & isti nullis particularibus legibus ligarentur, quòd rectè gubernationi dissentaneum est.

25 X. Peregrini tenentur observare statuta locorum in celebrandis contractibus, aliisque actibus, quibus certæ formæ, aut solennitates præscriptæ sunt secundum Vasquez *in Moral. de Testament. §. 1. dub. 1.* ubi ait, quòd condentes testamentum teneantur observare solennitates loci, in quo tunc versantur; ergò similiter observare tenentur statuta reliqua.

26 Verùm his non obstantibus alii contendunt, se seclu-

so scandalo ad auditionem sacri non teneri. Idque probant ex eo, quòd ille, qui territorium alienum ingreditur animo intra breve temporis spatium discedendi, nec acquirat verum, nec quasi domicilium, ac propterea, si eo in loco neque ratione contractus, aut delicti, aut aliâ de causâ forum sortiat, propter solam in loco existentiam particularibus eiusdem legibus non obligetur.

Pro Confirmatione adducunt: partim quòd tranquillitas, & felix territorii status subjectionem peregrinorum ad observandas leges particulares non exigat, modò casus supra n. 7. 8. 9. & 10. recitatos excipere digneris: partim quia sufficienter non constat, quòd Magistratus æquè peregrinos, quàm incolas ad observationem statutorum obligare velint, cum id nullo jure expressum inveniat; ergò eos neque obstringere velle censendi sunt propter præsumptionem, quæ faciendâ est contra eum, qui legem dicere potuit apertius, & non dixit, *c. contra eum. 57. de R. J. in 6.* partim quòd in dubio benignior fieri debeat interpretatio. *c. 30. Eod. in 6. l. 9. l. 56. l. 192. §. 11. ff. Eod. benignior autem, & mitior interpretatio est, si dicatur, peregrinos particularibus locorum constitutionibus non obstringi; ergò, licet concedatur, dubium esse, tamen omninò ita dicendum, atque tenendum est.*

Denique sic argumentantur: qui jurisdictioni locorum non subiiciuntur, non tenentur eorum legibus; atqui peregrini, si solum ad breve tempus in alienis territoriis commorentur, eorum jurisdictioni non subiiciuntur; ergò non tenentur eorum legibus. *Minorem probant*: tunc peregrini non subiiciuntur locorum jurisdictioni, quando ibi non possunt conveniri; atqui si solum ad breve tempus ibidem se detineant, non possunt conveniri; ergò non subiiciuntur

jurisdictioni locorum. *Minorem probant per textum in l. haeres absens. 19. §. 2. ff. de Judiciis.* ubi peregrini tunc demum conveniri posse dicuntur, si tabernaculum, pergulam, horreum, armarium, vel officinam conducant, atque adeo si quasi domicilium sortiantur; ergo si solum ad breve tempus se detineant, pergulam, officinam &c. non conducant, conveniri non possunt.

29 Argumentis contrariis facilius est brevi responsione obviare, quam iisdem assentire. Nam *prima* quatuor, praeterquam quod auctoritatem decisivam non habeant, solum exaudienda sunt de consilio, vel de casu, ubi est periculum scandali, ut satis indicant verba finalia *in d. c. illa autem. 11. dist. 12. ibi: si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.*

30 *Quintum ex c. consilium. 2. de Observat. jejuni* itidem intelligi potest vel de casu scandali, quem haud obscure denotant verba: *cum hoc ab aliis moleste feratur, & oriatur inde illis occasio detrahendi*; vel quod solum loquatur de incolis, ac eos ad observandam consuetudinem compelli debere asserat; vel de consuetudine generali, videlicet de abstinencia à carnibus die sabbathi, quae generaliter recepta etiam advenarum adstringuntur, quamvis in proprio territorio contrarium obtineret.

31 *Sextum* tunc saltem locum habet, quando onus, & commodum ex propria institutione connexa sunt, ut contingit in beneficiis Ecclesiasticis, in institutionibus haereditum &c. in quibus tam onera, quam commoda ad beneficiatos, & haereditas transeunt: non vero in aliis, in quibus onera, & commoda sunt disparata, sicut in proposito. Nec verum est, quod peregrini alias forent exleges: quia semper obligantur legibus generalibus, & communibus, ac etiam par-

particularibus illis, quae ad specialem reipublicae utilitatem, & ad pacificam exterorum cum incolis communicationem pertinent, ut in terminis respondet Clariss. D. P. Paulus Mezger *in Theol. Schol. tom. 2. tract. 8. disp. 25. art. 5. §. 5. n. 35.*

Septimum aut omnino nullam, aut certe modicam habet efficaciam: quia inter interdictum locale, & constitutionem loci particularem Gigantia, ut ita dicam, intercedit differentia, quae in eo sita, quod obligatio, ad servandum interdictum locale, solum proveniat ex incapacitate loci, qui tali interdicto directe affectus est, adeo ut secundum Covarruv. *in c. alma mater. de Sent. excomm. in 6. p. 2. §. 4. n. 6.* ne quidem infantes, furiosi, aut amentes, qui tamen alias censuræ, & legis incapaces sunt, in tali loco sepeliri possint. Leges vero locales esse, & locum afficere eatenus dicuntur, quatenus transeunt in inhabitantes, qui jurisdictioni illius loci subjecti sunt, non vero quasi alienigenas, & peregrinos ligarent.

Octavam tantam facilitate totum negatur, quantam asseritur: quia moribus introductum censei non potest id, quod à pluribus ita introductum fuisse non agnoscitur; unde frivola est assertio, quod Magistratus non censeantur transitum aliter concedere, nisi sub tacita conditione: *si transeuntes statuta territorii observaverint*: hoc enim, sicut & illud, quod peregrini propter non observatas leges territoriales quandoque puniantur, vel ex eo provenit: quia transgressio fit cum periculo scandali; vel inde: quia contingit circa tales leges, quae vel bonum territorii concernunt, vel speciale damnum ab eo avertunt, vel formas, & solennitates contractibus praescribunt.

Cum paritatibus *nono*, & *decimo* loco, secundum la-

tum & longum allatis, aliter mihi non videris, quam:
Ludere par impar, equitare arundine longa;

& quasi nescires, hoc ipsum maximè esse controversum: an nimirum vagabundi locorum statutis teneantur? Et satis probabiliter negant Sayrus, Lessius, & Laymann apud Basæum in *Florib. Theol. V. lex. n. 7.* eâ moti ratione, quòd ex *c. ult. de Foro compet.* generalis habeatur doctrina, neminem sortiri forum, nisi vel ratione veri, aut quasi domicili, vel ratione contractus, vel delicti, vel (ut addit Laymann) ratione rei sitæ, aut quandoque ratione originis, siue patriæ; quapropter incertum per incertum, idem per idem, & per consequens hâc tuâ paritate nihil probasti, sed prorsus in vanum laborasti.

35 Demum illud vehementer admittor, quòd à legibus contractuum non erubescas argumentum ducere ad leges alias; Siquidem tam contractus ipsi, quàm leges, contractibus certam formam, aut solennitatem præfigentes, in jure nostro specialem, eamque manifestam habent exceptionem. Contractus quidem: quia eò locò, ubi quis contrahit, sortitur forum, ibique conveniri potest. *d. c. ult. de For. compet. c. 1. §. contrahentes. Eod. in 6. l. hares absens. 19. §. 1. & 2. ff. de Judic.* Leges verò: quia contractus regulantur secundum leges loci, in quo celebrantur per *leg. si fundus. 6. ff. de Evictionib. l. 1. Cod. de Emancipat. liber. l. si non speciali. 9. & l. ult. Cod. de Testament.* Unde nimiâ admiratione raptus, & captus quæro: an tu solus in jure nostro adeò peregrinus es, ut nescias, hoc secundum modò allegata jura, ac ea, quæ supra n. 9. notavimus, esse speciale in contractibus? quam specialitatem si sapias, responsionem sufficientem vel hoc ipso sufficienter capis.

CON-

CONTROVERSIA V.

Utrum actus, ad introducendam consuetudinem necessarii, debeant esse in contradictorio judicio obtenti?

SUMMARIUM.

1. Aperitur status Controversia. 2. & 3. Sententiam negativam, aut affirmativam quinam teneant? 4. Statuitur nostra. 5. & 6. Afferuntur probationes. 7. & seqq. Solvuntur argumenta contraria.

UT rem totam paucis intelligas; singe, quòd forsan mortui jam propinquus condas testamentum coram duobus tantum testibus in loco, ubi ad factionem testamenti à longissimo jam tempore præter duos testes nulla quidem alia solennitas adhiberi consuevit; interim tamen, quia forsan de hujusmodi testamenti valore nunquam evenit altercatio, sic in contradictorio judicio nunquam evenit casus, quo simile testamentum, tanquam consuetudini conforme, approbatum, validumque pronuntiarum fuisset. Quæritur: an hoc non obstante consuetudo cæteris paribus legitimè sit introducta, & per consequens: an testamentum, quod coram duobus tantum testibus condidisti, juxta consuetudinem tanquam validum sustineri debeat, nec ne?

Prima sententia negat, quam tuentur Gloss. in *c. frustra. 2. 7. V. consuetudinem, & item quòd obtinuerit. dist. 8.* Et altera Gloss. in *c. fin. V. legitimè sit prescripta. & vel saltem. de Consuetud.* Item Gloss. in *Rubrica Cod. Quæ sit long. consuet.* Secunda sententia affirmat, cui subscribunt Roehus Curt. in *c. ult. de Consuetud. sect. 4. n. 34.* & noster Panormit. in *eod. cap. ult. n. 16.* ubi dicit, hanc esse communem opinionem tum Canonistarum, tum Legistarum. His ad stipulantur Suarez, Salas, Vasquez,

quez, Basil, de Leon, Mascardus, & Bonacina cum Ferdinando de Castro Palao *part. 1. tract. 3. disp. 3. punct. 2. §. 3. n. 9.* Reverendiss. Rupert. Kimpfler *in disp. de Consuet. part. 2. §. 4. n. 10.* Clarissimi P. Lud. Engl *in Colleg. Jur. Can. lib. 1. tit. 4. n. 10.* & P. Robertus König *lib. 1. Decret. tit. 4. §. 4. n. 6.*

4 Ego hac in parte primas *secundæ* defero, & Antecessorum meorum vestigiis firmiter insistens concludo: ad introducendam consuetudinem non requiri, ut actus in contradictorio iudicio sint obrenti.

5 Idque sic ostendo: si ad introducendam consuetudinem necessarij forent actus in contradictorio iudicio obrenti, hæc necessitas proveniret vel ex natura rei, vel ex præscripto juris; atqui neutrum dici potest. Non prius: quia tacitus populi consensus, & introducendæ consuetudinis intentio sufficienter colligi potest ex actibus extrajudicialibus, cum & isti possint esse planè notorii. Non posterius: quia nullus extat juris textus, qui actus judiciales præcisè requirat; sed potius contrarium haud difficilè deducitur tum ex *c. fin. de Consuetud.* ubi ad consuetudinem plus non requiritur, quàm ut sit rationabilis, & legitimè præscripta, tum ex *l. 38. ff. de LL.* ubi autoritas consuetudinis ab autoritate rerum similiter judicatarum disjungitur, & tam de illa, quàm de ista separatim asseritur, quòd in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiuntur, vim legis obtinere debeant.

6 Deinde ex traditis à Ferdinand. de Castro Palao *loc. cit. n. 10.* sic arguo: tunc non requiritur, ut actus in iudicio contradictorio per sententiam approbentur, quando consuetudo antecedenter ad talem sententiam necessariò supponitur perfecta; atqui necessariò ita supponitur: siquidem antecedenter ad sententiam debet legitimè esse probata;

nes

nec aliàs Judex secundum consuetudinem pronuntiare, aut eam tanquam justam declarare posset, quia non minùs pronuntiatio secundum consuetudinem præsupponit existentiam consuetudinis, quàm pronuntiatio secundum legem præsupponit existentiam legis.

Sed modicam fortassis, aut etiam nullam mihi adhibes fidem, nisi omnem planè dubitandi scrupulum tibi eximam; quod ut præstem, ansam præbes, & causam, dum

7 *Obijcis* primò suprà allegatarum Glossarum autoritatem, quæ profectò tanta esse videtur, ut oppositam sententiam omninò evinceat: fuerunt enim (ut inquit Raphael Fulgosius *in l. si in solutum. 6. Cod. de Oblig. & Act.*) Glossatores maximæ scientiæ viri, & autoritatis: si aliud non esset, quàm Glossarum ordinatio, & de quibus posset dici, quod arbitror de nullo posse dici, videlicet quòd totum Corpus Juris viderint; magis ergo standum est eis, qui viderunt, quàm nobis, qui non vidimus. Ast parùm, imò nihil cum tuis Glossis evincis: esto enim harum autoritas magna quidem sit, & veneranda: attamen tantam non esse, ut vim legis decisivam obtineat, nullatenus dubites, sed cum omnibus pro certo teneas; præsertim cum optimè noveris, Glossas passim sibi contradicere, & in uno loco approbare id, quod in altero reprobant. Vel certè, si magis specifica placet responsio, prædictas Glossas non statim post somnum, sed orto jam sole perlustra, certò certius deprehendes, eas non absolutè, sed saltem ad melius, & ad faciliorem consuetudinis probationem requirere, ut actus in contradictorio iudicio sint obrenti.

8 *Obijcis* secundò textum *in c. Abbate. 25. §. ad hoc autem. de V. S.* ubi quædam consuetudo eligendi ex eo insufficientis iudicatur, quia non fuit in contradictorio iudicio probata,

G

bata,

bata. *Resp.* Hunc textum imprimis non loqui de consuetudine, quæ vim legis habet, sed solum de præscriptione juris eligendi, quæ duo toto cælo inter se distare noscuntur. Præterea concessio etiam, quod de consuetudine loquatur, attamen vim aliquam obtinere nequit ex eo, quod reprobatio consuetudinis solum fuerit facta in narratione, videlicet ab una parte litigantium asserente, non potuisse ex iis, quæ pars adversa allegavit, colligi, quod consuetudo aliqua, quasi contradicto iudicio, fuerit introducta. Imò ex fine textus *v. his igitur.* luculenter apparet, quod Papa non contra, sed pro consuetudine iudicaverit.

9. *Objcis tertio l. cum de consuetudine. 34. ff. de LL. quæ sic habet: cum de consuetudine civitatis, vel provincia considerare quis videtur: primum quidem illud explorandum arbitror, an etiam contradicto aliquando iudicio consuetudo firmata sit.* Ergo ad perfectionem consuetudinis necessarium est, ut actus in contradictorio iudicio obtineantur, ipsaque consuetudo à Iudice tanquam justa, & legitima approbetur, & confirmetur.

Sed quæso, unde hæc tibi consequentia? cum textus id saltem dicat, quod, si quis in consuetudine aliqua se fundare velit, tunc primum, & ante omnia attendere debeat, an consuetudo aliquando per sententiam Iudicis fuerit approbata; sive utrum aliquando secundum consuetudinem fuerit iudicatum, id quod nullam necessitatem, sed præcisam utilitatem arguit: quia nimirum ad probandam consuetudinem maxime utile est, si hæc jam aliquando in contradictorio iudicio firmata sit, utpote per quod is, qui consuetudinem allegat, relevatur ab onere eam probandi juxta Donellum apud Ferd. de Castro Palao *part. 1. tract. 3. disp. 3. punct. 2. §. 3. n. 10.*

Instas

Instas: Ad perfectionem consuetudinis requiritur, ut 10. actus sint notorii, ac præterea, ut ij, qui consuetudini se conformare volunt, possint esse securi in conscientia; atqui actus nunquam magis erunt notorii, quam si in contradictorio iudicio fuerint obtenti, & aliàs vix ullus esset securus in conscientia, cum semper dubitare posset, an consuetudo revera, & perfecte sit introducta? *Resp.* Verum omnino esse, quod consuetudo in contradictorio iudicio obtenta maxime sit notoria: interim tamen ex hoc minus rectè inferi, actus extrajudiciales non sufficere: hoc namque falsum est: quia ex his quoque actibus tacitus populi consensus, & animus introducendæ consuetudinis sufficienter colligi potest, proindeque illi, qui tali consuetudini se conformant, sufficienter securi erunt in conscientia, si bona fide sequantur exempla prudentum, & rationabiliter credant, consuetudinem legitime esse introductam.

CONTROVERSIA VI.

An penes Ecclesiam detur merum Imperium?

SUMMARIÆ.

1. Cur Controversia ista hic tractetur?
2. Merum Imperium quid?
3. Hoc non esse penes Ecclesiam tenet Zoësius.
4. 5. & 6. Rationes, quibus sententiam suam stabilit.
7. & seqq. Statuitur sententia contraria, & firmatur, simulque respondetur argumentis Zoësis.

Hanc controversiam non tam ratione sui, quam ratione 1
Controversiæ subsequentiæ (utpote quæ ab ista omnimodo-
dam

dam habet dependentiam) hinc tractare, ac ideò in eius veritate paucis inquirere lubet, ut alteri & viam sternamus, & solidum ei fundamentum supponamus.

2. *Definitur merum Imperium, quòd sit potestas gladii ad animadvertendum in facinerosos homines. l. Imperium. 3. ff. de Jurisdic. Hinc definitione motus Zoëlius in Comment. ad lib. 1. Decretal. tit. de Offic. & potest. Judic. delegat. v. 18.*
3. *merum Imperium Ecclesie denegat, hoc ipso quòd penes Ecclesiam non sit gladius ad animadvertendum in facinerosos, de quo loquitur textus in d. l. 3. & abunde constat tum ex c. inter-hac, 6. causà 33. q. 2. ubi Nicolaus Papa ait, quòd Ecclesia non habeat gladium, nisi spiritualement: quòd non occidat, sed vivificet; tum ex c. 10. de Judic. & c. 4. de Raptorib. ubi Prælati Ecclesiastici solùm permittuntur coërcitio, quæ sit per pœnam pecuniariam, aut per moderata flagella, quæ in vindictam sanguinis minimè transeunt; quòd si verò excessus adeò fuerit enormis, ut aut mortem, aut mutilationem mereatur, tunc plectendus, aut mutilandus potestati sæculari tradi jubetur, cum efficacitamen intercessione pro vita, & membris rei traditi. c. novimus, 27. de V. S.*

5. *Unde ulterius talis potest formati discursus: Si penes Ecclesiam esset merum Imperium, hoc vel maximè consisteret in potestate excommunicandi, suspendendi, deponendi, degradandi &c. Atqui in hac potestate merum Imperium non consistit; ergò penes Ecclesiam non est merum Imperium. Min. prob. Merum Imperium in illa solùm potestate consistit, quæ talem continet animadversionem, quæ facinorosus gravis cruciatus corporalis infligitur. d. l. 3. Ergo non consistit in potestate excommunicandi, degradandi &c. quia hæc talem animadversionem non continet, & per consequens*

sequens sub jure gladii non comprehenditur, nisi quis omnino improprie, & abusive loqui velit, quod hinc eo ipso fieri non debet, quia de rei veritate inquiritur, ubi verba in propria significatione accipienda.

Planè cum Ecclesia non sit nociva, sed benigna omnium mater, studium eius potius est tendere debet, ut facinorosos à morte liberet, quàm ut eosdem pœnæ mortis tradat, conformiter præcepto Gregorii Papæ in e. reos, 7. causà 23. q. 5. ubi jubet, ut Ecclesia reos sanguinis defendat, ne effusione sanguinis particeps fiat. Et quamvis Episcopi, & Prælati Ecclesiastici sua habeant judicia sanguinis, hæc tamen non habent de jure Canonico, vel tanquam Ecclesiastici, sed jure feudali, & tanquam Vasalli Imperii, ac Domini, & Principes territoriorum per tradita ab Andr. Gail. *Prætic. observat. 30. n. 4.*

Verumtamen, quidquid obtrudat Zoëlius, nos è contra cum communi Doctorum firmiter sustinemus, dari in Ecclesia merum Imperium, idque consistere in potestate excommunicandi, suspendendi, deponendi &c. *Probatum* autem hanc nostram assertionem à pari hoc modo: Merum Imperium datur de jure Civili in foro sæculari; ergo etiam datur de jure Canonico in foro Ecclesiastico. *Probatum consequentia:* Ideò merum Imperium datur de jure Civili in foro sæculari: quia in hoc datur potestas gladii ad animadvertendum in facinerosos homines; ergo similiter datur de jure Canonico in foro ecclesiastico: quia etiam in hoc foro datur potestas gladii ad animadvertendum in facinerosos homines, cum hæc solùm differentiâ, quòd in foro sæculari detur potestas gladii corporalis ad animadvertendum in delinquentium corpora: in foro autem Ecclesiastico detur potestas gladii spiritualis ad animadvertendum in delin.

8 delinquentium animas; ceterum verò Imperii meri definitio tota, quanta est, tam Imperio mero Ecclesiastico, quam Civili per omnia convenit, & nomine *gladii* tam gladius spiritualis, qui vitam hominis spiritualem, quam corporalem, qui vitam hominis naturalem tollit, intelligitur. *arg. d. c. 7. causa 23. q. 5. & Extravag. unam sanctam. de Major. & obed. inter comm.* quamvis forsan ICtus Ulpianus in d. l. 3. appellatione *gladii* solum intellexerit gladium corporalem. Imò absolute loquendo etiam potestatem *gladii* corporalis in Ecclesia esse, non multum dubitamus, suffulti exemplo B. Petri, qui reprehensione suâ Ananiam, & Saphiram interfecit. *Actor. 5. v. 1. & seqq.*

9 Præterea nomine *gladii corporalis*, sive Imperii meri, quod datur in foro sæculari, non tantum comprehenditur potestas inferendi poenam mortis naturalis, sed etiam potestas inferendi poenam mortis civilis, aut aliam poenam corporis afflictivam non capitalem, ut passim notant DD. & in specie tradit Matthias Stephani de *Offic. Judic. lib. 1. c. 7. n. 46.* ubi imperii meri tres enumerat gradus, quorum *primus* continet poenas mortis naturalis, seu tales, quæ mortem naturalem inferunt, velut amputatio capitis, suspendium, strangulatio, seu suffocatio &c. *Secundus* completitur poenas mortis civilis, v. g. si cui auferatur jus civitatis Romanæ per deportationem, vel si quis ad perpetuos carceres damnetur. *Tertius* gradus habet alias poenas non capitales, puta poenam mutilationis, fustigationis, relegationis &c. Ex quibus sic

10 *Argumentamur I.* Si nomen *gladii* tam late potest accipi, ut non tantum contineat potestatem inferendi poenam mortis naturalis, sed etiam poenam mortis civilis, de qua forsan Ulpianus tam parum cogitavit, quam parum cogitavit

gitavit de potestate excommunicandi, degradandi &c. eur, obsecro, idem nomen *gladii* non deberet posse accipi tam late, ut contineat potestatem tollendi vitam hominis spiritualem, cum non minus poenam excommunicationis, suspensionis, degradationis &c. quam poenam mortis civilis, poenis capitalibus passim æquiparari audias.

Argumentamur II. Esto, quod penes Ecclesiam non detur potestas *gladii*, seu merum Imperium quod ad primum gradum: cum Clerici ob metum irregularitatis causas sanguinis tractare non audeant. *c. ult. Ne Cleric. vel Monach. in 6.* tamen ex hoc tanquam à particulari ad universale, minus recta sit argumentatio, & jure inferri non potest, penes Ecclesiam nullum dari merum Imperium: quia saltem datur potestas corporaliter castigandi, perpetuis carceribus mancipandi &c. quæ æquæ, ac potestas inferendi mortem, meri Imperii est, licet gradus cujusdam inferioris. Certè de jure quoque Civili merum imperium non semper secundum omnem suam latitudinem, & quod ad omnes gradus, sed quod ad aliquos tantum inferiores concessum esse, experientia docet, dum Nobiles in castris, & pagis suis solum habent *jurisdictionem bassam*, ut vocant, seu potestatem puniendi delicta minora, quam tamen potestatem ad merum Imperium spectare satis constat ex hætenus dictis. Unde tandem prorsus nihil ob stare videtur, quod minus merum Imperium sit etiam penes Ecclesiam. Confer. Gloss. & DD. in *c. quod se dem. 10. de Offic. Judic. Ordin.*

Atque harum rationum pondere cum jam suâ sponte oppressa jaceant Zoësi fundamenta, hinc ulteriori refutatione ea amplius non gravamus, sed ad Controversiam sequentem, huic nostræ sic fundatæ sententiæ superinædificandam, properamus.

CONTROVERSIA VII.

Utrum merum Imperium delegari possit de Jure Canonico?

SUMMARI A.

1. Qualitas hujus Controversia. 2. Papa potest: alii Prælati insuper tenentur causas sanguinis delegare. 3. Papa merum Imperium Ecclesiasticum etiam laicis delegare potest. 4. & 5. Proponitur, & solvitur Objectio. 6. Alii Prælati, quamvis laicis delegare nequeant merum Imperium Ecclesiasticum; 7. 8. & 9. Possunt tamen laicis delegare causas Clericorum temporales civiles. 10. & seqq. Sicut etiam delegare valent merum Imperium Ecclesiasticum personis Ecclesiasticis.

I Quoniam hæc Controversia ita generaliter proposita non unò tantum, sed pluribus difficultatum nexibus aded intricata videtur, ut omnimodam solutionem non recipiat, & consequenter nec bene doceri possit, nisi bene distingatur: hinc in plures Assertiones eam discerpere, & nostram desuper mentem breviter quidem, sed distinctè aperire lubet.

2 Assertio I. Non tantum S. Pontifex potest, verum etiam alii Prælati Ecclesiastici non solum possunt, sed insuper debent personis laicis delegare causas sanguinis, seu merum Imperium sæculare, quod vindictam sanguinis respicit, & quod Prælati Ecclesiastici tanquam Domini, & Principes territoriorum, atque Vasalli Imperii obtinent, per textum *in c. in Archiepiscopatu. 4. X. de Raptorib.* ubi Panorm. Archiepiscopo solum conceditur potestas moderatæ coercitionis, quæ in vindictam sanguinis non transit; quod

fi

si verò delictum fuerit tale, propter quod mors, aut truncatio membrorum sustineri debet, tunc causa Regiæ potestati reservari jubetur. Ratio verò stat partim in lenitate, & mansuetudine, quam Clerici exemplo Christi mansuetissimi, qui non alienum, sed proprium sanguinem pro omnibus fudit, præferre debent; partim in metu irregularitatis, quam Prælati Ecclesiastici incurrerent, si causæ sanguinis se immiscerent. *c. ult. Ne Cleric. vel Monach. in 6.*

3 Assertio II. Summus Pontifex tanquam supremus Ecclesiæ Princeps potest delegare causas meri Imperii Ecclesiastici, & hoc non tantum personis Ecclesiasticis, sed cæteris paribus etiam laicis per tradita à Panorm. *in c. 2. n. 5. de Judic.* & perspicuè probatur: Tum per textum *in c. 7. causâ 2. q. 5.* ubi Gregorius Papa Brunichildæ Regiæ Francorum arbitrio commisit, ut Manna Episcopus duobus sibi Sacerdotibus junctis de innocentia suâ in ejusdem Regiæ præsentia se purgaret. Tum per *c. 4. causâ 10. q. 3.* ubi Pelagius Papa Cresconio viro illustri commisit potestatem in Episcopos Siciliæ, dicens: *illud te volumus modis omnibus custodire, ne qui Episcoporum de Parochiis ad se pertinentibus nomine Cathedralicis amplius, quam duos solidos præsumant accipere, neque compellerè Presbyteros, aut Clerum Parochiarum suarum supra vires suas eis convivium præparare.* Tum per *c. 23. dist. 3.* ubi Hadrianus Papa Carolo Francorum, & Longobardorum Regi ordinationem sedis Apostolicæ, seu electionem, & constitutionem Romani Pontificis concessit; & Leo Papa cum toto Clero, & populo Romano constituit, confirmavit, corroboravit, & auctoritate Apostolicâ concessit Othoni I. Regi Teutonicorum, ejusque successoribus facultatem eligendi successorem, atque summæ Sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi, ac per

H

hoc

hoc Archiepiscopus, & Episcopus, ut ipsi ab eo investituram accipiant, & consecrationem, ut debent. *d. c. 23.* Tum quia excommunicare, suspendere, & generatim censuras ferre potest omnis, qui jurisdictionis Ecclesiasticæ est capax, ac eam in foro exteriori non impeditam habet, ut rectè notavit P. König *lib. 5. Decret. tit. 39. part. 1. §. 4. n. 7.* Ergo, sicut laici juris eligendi, conferendi beneficia, præsentandi, instituendi, decimandi, aliorumque iurium spiritualium autoritate Papæ possunt reddi capaces, ita quoque capaces reddi possunt juris, & potestatis ferendi censuras, ac per consequens S. Pontifex eis delegare potest merum Imperium; & hoc non tantum in personas Laicas, sed etiam, saltem in particularibus casibus, in personas Ecclesiasticas, ut patet ex *d. c. 7. causâ 2. q. 1. c. 4. causâ 10. q. 3. & c. 23. dist. 63.*

4 Sed forsan contra hoc ultimum tibi incidit scrupulus: quod nimirum Clerici à jurisdictione laicorum exempti sint jure divino. *c. 30. de Jurejur. c. 4. de Censib. in 6. Concil. Trid. sess. 25. de Reformat. c. 20.* contra quod cum nec Papa, tanquam inferior respectu superioris, aliquid possit. *c. 13. §. opinioni. de Restit. spoliat. c. 4. de Usur. & arg. c. 4. dist. 21. c. 16. de Maior. & obed. clem. 2. in princ. de Elect.* hinc sequi videtur, eum nec posse concedere, ut Clerici à Laicis per censuras puniantur, vel aliàs quoquo modo dijudicentur.

5 Respond. Clericos esse quidem à jurisdictione laicorum jure divino exemptos, sed solum in thesi, non verò in hypothesis, seu in hoc, vel illo particulari casu, prout satis constat ex eo, quod Clerici jurisdictioni sæculari subijciantur in causis feudalibus. *c. 6. & 7. de Foro compet. vel si tanquam actores reos laicos conveniant. arg. c. 8. & 8. Eod.*

&c.

& probabiliter in causa reconventionis, puta, si Clericus à laico, quem coram Judice sæculari convenit, coram eodem reconveniat, per *l. 22. ff. de Judic. & l. 14. Cod. de Sent. omn. judic.* Vel, si mavis, eni! responsionem tibi haud invitus duplico, & dico, quod in præfato nostro casu laicus non tam jurisdictione sæculari, quàm Ecclesiasticâ utatur: quia utitur jurisdictione delegatâ, quæ Ecclesiastica est.

6 *Assertio III.* Alii Prælati Ecclesiastici, velut Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi &c. quamvis Laicis delegare nequeant merum Imperium Ecclesiasticum, vel causas spirituales, possunt tamen iisdem delegare causas Clericorum temporales civiles. *Primum* membrum docetur à Panormit. *in c. 2. de Judic. n. 5.* & difficultatem non habet: si quidem ratio tam convincens, quàm manifesta in promptu est, quod videlicet Prælati S. Pontifice inferiores nequeant laicos habilitare, vel jurisdictionis spiritualis capaces reddere, cum id de jure soli Papæ competat per tradita à Gloss. in *præter. 6. §. verum. V. Duci. dist. 32.* & à Panormit. *loc. cit. secundum* membrum, quamvis suos habeat Adversarios, satis tamen probari posse videtur per *c. Clericum. 3. causâ 11. q. 1.* in quo Marcellinus Papa prohibet, ne quis præsumat Clericum cuiuslibet ordinis absque Pontificis sui permissu ad sæcularem judicem attrahere; ergo à contratio, si Episcopus permittat, & causam deleget, poterit Clericus ad sæcularem judicem trahi. Deinde per textum in *c. 2. de Judiciis.* ubi similiter Episcopis solum prohibetur, ne iudicio Laicorum supponant negotia Ecclesiastica; unde ex adverso censendum, ac omninò dicendum est, Episcopis non prohiberi, quò minus causas Clericorum temporales Laicorum iudicio supponere possint. Atque ita tenent Gloss. in *c. pervenit. V. concedimus. circa fin. dist. 95.* & Panormit. *d.*

H 2

d. n. 5. & 6. cum aliis ibidem relatis. Sed contra

7 **Opponis primo:** Ex eo, quod in c. 17. & 47. causa 11. q. 1. prohibeatur, ne quis presumat Clericum apud secularem judicem Episcopo non permittente pulsare, minus recte infertur, quod quis Clericum apud judicem secularem pulsare possit, si Episcopus id permittat: quia, ut indicant verba finalia: *nec audeat criminale negotium in judicio seculari proponere*; ibidem agitur de causa criminali, quam Episcopus juxta communem Doctorum Laico delegare nequit: ergo id ipsum neque ex prioribus inferri potest.

Respond. Ex præfatis textibus nihil probari posse, cum scriptis solum sint ex Concilio Agathensi, quod tantum provinciale est, & per consequens auctoritatem decisivam non habet. Deinde dato etiam, quod textus illi essent authentici, tamen varias expositiones recipiunt, ut notat Gratianus in d. c. 47. §. ex his. dum ait: *Ex his omnibus datur intelligi, quod Clericus ad publica judicia nec in civili, nec in criminali causa est producendus, nisi forte civilem causam Episcopus decidere voluerit, vel in criminali sui honoris cingulo eum nudaverit.*

8 **Opponis secundo:** Argumenta à sensu contrario deducta non concludunt, si sequeretur correctio juris communis per ea, quæ tradit Fachin. *Controvers. jur. lib. 13. c. 3. §. quartam movet. & seqq.* Atqui prædicta duo argumenta sunt à sensu contrario, ut per se patet, & sequeretur correctio juris communis: quia nimirum repugnant textui in c. significasti. 18. de Foro compet. ubi Gregorius IX. expressis verbis ita rescripsit: *quod, licet privatorum consensus eum, qui jurisdictioni præesse dignoscitur, suum possit judicem constituere, Clerici tamen in judicem non suum (nisi forte sit persona Ecclesiastica; & Episcopi diocesani voluntas accedat,) consentire non possunt.* Ergo. **Ve-**

9 **Verum,** ut adverte, si nostra argumenta idè sunt infirma, quod sint à sensu contrario, tuum profecto simili vulnere sauciatum eodem indiget emplastro: quia æquè à sensu contrario deductum esse, aperte dignoscitur ex verbis: *nisi forte sit persona Ecclesiastica, & Episcopi diocesani voluntas accedat.* Ac propterea tanquam juri communi, puta, textibus in d. c. 3. & c. 2. contrarium, non concludit. Non dicam, quod cit. cap. 18. solum loquatur de eo casu, quo Clericus jurisdictionem Laici in se prorogare intendit, non verò de nostro, quo Episcopus causam Clerici temporalem delegat. Primum fieri prohibetur: quia judex Laicus uteretur jurisdictione propria, & si ab eo appellari contingeret, appellatio fieret ad superiorem Judicis Laici, atque adeò Clericus judicaretur à Laico per jurisdictionem secularem. Secundum verò fieri permittitur: quia in delegatione Judex delegatus utitur jure, & vice delegantis. c. sanè. 11. de Offic. & potest. jud. deleg. atque adeò in proposito casu Laicus uteretur jurisdictione Ecclesiastica, & per consequens, si ab eo appellari contingeret, appellatio fieret ad Episcopum delegantem. Quæ responsio vel idè forsan satis placebit, quia Abbatialis est, nimirum Panormitani in d. c. 2. n. 6. de Judiciis. cui consentit Diana part. 3. tract. 2. resol. 112. ubi hanc sententiam in praxi receptam testatur. Cæterum, ut verum fatear, contraria sententia in puncto juris, si non probabilior, saltem æquè probabilis esse videtur, tum propter textum in d. c. 18. de Foro compet. tum propter rationem: quod privilegium fori commune sit, totique ordini Clericali competat, ac proinde sicut Clerici ipsi eidem renunciare nequeunt. c. si diligenti. 12. Eod. ita neque in singulorum Episcoporum potestate esse debet, per delegationem in judicem laicum eidem

præjudicare. Sed modò ad principalem Assertionem tem-
pus vocat.

10 *Affertio IV.* Prælati Ecclesiastici, ut puta Archiepisco-
pi, Episcopi &c. delegare possunt merum Imperium eccle-
siasticum personis ecclesiasticis. Ita Glossa *in c. pervenit.*
dist. 95. & altera Gloss. *in c. quod sedem. de Offic. judic. or-*
din. ibique Panormit. *n. 4. & 5.* contra Imol. Felin. Alci-
at. Anian. Dec. Jacob. de Nigris, & Innocent. apud Co-
varruv. *lib. 3. Variar. resol. c. 20. n. 4. in fin.*

11 Et verò, ut Assertionem nostram non tantummodò
probemus, sed & Adversariorum machinationes unà si-
mul eludamus, ita argumentari lubet: Si esset aliquod fun-
damentum asserendi, merum Imperium de jure Canonico
non posse delegari, id foret vel maximè, quòd merum Im-
perium saltem extra casum absentix, aut gravis infirmitatis
delegari nequeat de jure Civili. *l. 6. in princ. ff. de Offic.*
Proconsul. l. 1. in princ. & §. 1. ff. de Offic. eius, cui mand.
est jurisdict. l. 70. ff. de R. J. ac propterea inter unum, &
alterum jus absque expresso textu non sit facienda diffe-
rentia. *arg. c. 29. de Elect. in 6. & c. 1. de N. O. N.* Atqui
hoc fundamentum non est; ergò. *Min. probatur:* Tunc
hoc fundamentum non est, quando de jure Canonico ces-
sat ratio, propter quam merum Imperium de jure Civili
delegari prohibetur; atqui ratio illa cessat; ergò. *Min.*
probatur: Ratio, propter quam de jure Civili merum Im-
perium nequit delegari, est: quia hoc jure ea, quæ sunt me-
ri Imperii, non competunt jure proprio, seu jure Magistra-
tûs, sed specialiter lege, senatusconsulto, constitutione Prin-
cipum, aut privilegio concessa sunt. *d. l. 1. in princ. & §.*
1. ff. de Offic. eius, cui mandat. est jurisdict. Atqui hæc ratio
de jure Canonico cessat: quia ea, quæ sunt meri Imperii eccle-
clia-

cliaſtici competunt Prælatiſ acceſſiſticiſ ratione proprii
Officii, & dignitatis, atque aded jure proprio, ac eo ipſo,
quod Episcopi ſunt. Id quod variè demonſtrari poteſt: tum
per *c. 15. de Elect.* ubi habetur, quod Episcopo poteſtas
excommunicandi ſtatim competat, ex qua electionis ſux
confirmationem accepit. Tum per *c. 1. & 16. de Offic.*
jud. ordin. ubi itidem cauſa meri Imperii eccleſiaſtici Epi-
ſcopis generatim tribuitur; ergò merum Imperium de jure
Canonico competit Episcopis jure proprio, maximè quod
in præcitatis textibus nec ulla fiat mentio ſpecialis conceſ-
ſionis, cum econtra de jure Civili expreſſè habeatur, quod
merum Imperium ſeculare ſpeciali legis conceſſione detur.
d. l. 1. §. 1. ff. de Offic. eius, cui mand. eſt jurisd.

Planè ſi Episcopis jure proprio competit jurisdictio, in- 12
ſtitutio, collatio, ſynodatici, ſeu cathedratici, & quartæ de-
cimationum, ac mortuorum exactio, nullum videtur
remanere dubium, quin etiam poteſtas corrigendi, refor-
mandi, excommunicandi, ſuſpendendi, interdicens, ac
generatim cenſuras ferendi Episcopis jure proprio compe-
tat; quia hæc omnia pariformiter, ac eodem planè modo
Episcopis conceduntur *in d. c. 16.* Unde licet de jure Ci-
vili merum Imperium ſeculare non poſſit delegari, quia com-
petit ex ſpeciali conceſſione. *d. l. 1. §. 1.* poterit tamen de
jure Canonico delegari merum Imperium eccleſiaſticum:
quia competit jure proprio. *d. c. 15. de Elect. & c. 1. & 16.*
de Offic. Ordin. proindeque rectè hîc ſubintrat ratio legis *ſ.*
ff. de Jurisdic. in qua dicitur: more maiorum ita compara-
tum eſſe, ut is demum jurisditionem mandare poſſit, qui eam
ſuo jure, non alieno beneficio habet.

Præterea Assertionem noſtram confirmare juvant plu- 13
res Juris Canonici textus, inter quos primi ſunt *c. licet. 2.*
de

de Offic. Vicar. in 6. & c. cum Episcopus. 7. de Offic. Jud. Ordin. in 6. ubi delegatio meri Imperii ecclesiastici Episcopis indifferentes conceditur. Secundo loco se offerunt c. quod sedem. 10. X. Eod. c. suffraganeis. 11. de Elect. & c. aqua. 9. de Consecrat. Eccles. vel altar. ubi perspicue asseritur, ea, quae sunt ordinis Episcopalis, delegari posse, cum tamen constet, hanc tanquam ardua, & omnino gravia ad merum Imperium pertinere; & Episcopis non nisi ratione ordinis concessa esse. arg. l. 1. in princ. ff. de Offic. eius, cui &c. Tertium locum tenet clem. 1. §. propter quod. de Hæret. ex qua deducitur, posse Episcopum causas hæresis delegare, alterique committere: quia, ut ibidem habetur, Inquisitores hæretum non possunt absque Episcopo, Vicario, vel Delegato de illis cognoscere, aut regulariter tractare; ergo cognitio, ac punitio earundem delegari potest. Quarto suffragatur c. ad hoc. 2. de Auctorit. & usu pall. ubi solum prohibetur delegatio tunc pallii; unde Gloss. in c. pervenit. dist. 95. inferre, omnia, quae sunt meri imperii, à Metropolitano delegari posse, præter usum pallii, utpote quod personale est. d. c. 2. Quinto demum insignis pro hac parte videtur esse textus in c. ult. X. de Offic. Jud. Ordin. ubi illis, quibus ex officio in certis casibus competit potestas absolvendi ab excommunicatione, ortâ ex violenta manu injectione, conceditur, ut aliis hujusmodi absolutionem committere possint, cum videretur expedire: qui textus tanto fortius stringit, quanto apertius constat, potestatem illam Episcopis quandoque specialiter concessam fuisse. c. 6. c. 17. c. 26. c. 33. & c. ult. de Sentent. excomm.

14 Neque dicas: id regulariter Episcopis non licere, sed solum permissum esse ex justa causa conformiter verbis finalibus: cum viderint expedire; neque, inquam, hoc dicas:

cas:

cas: quia è contrario id saltem inferri potest, quòd, si viderint non expedire, id est, si viderint, quòd ex tali delegatione oriretur aliquod malum, aut minus bonum inde eveniret, quàm si Episcopi ipsi absolverent, tunc delegationem fieri non debere; non autem casu quo nihil interesset, an per se absolverent, vel absolutionem alteri demandarent. Verùm de mero Imperio discursum abbreviare imperat ratio instituti.

CONTROVERSIA VIII.

An causa possessoria rei spiritualis tractari possit, aut debeat coram
Judice Laico?

SUMMARIUM.

1. Diversa Doctorum opiniones.
2. Quot modis super re spirituali institui possit questio?
3. Coram quali Judice debeat tractari questio super ipsa rei spiritualis proprietate?
4. & 5. An Laici sint judices competentes, si de proprietate beneficiorum agatur?
6. Laicus nequit cognoscere de possessore rei spiritualis, quod causam proprietatis annexam habet.
7. Quid? si agatur de mero facto, & lis sit inter Clericos, vel inter Laicum actorem, & Clericum reum?
8. Proponuntur duae Controversiae absque discussione problematicæ.
9. 10. & 11. Objectiones cum solutionibus.
12. & seqq. discutitur: quisnam sit iudex competens, si questio de mero facto fiat inter Laicos, vel inter Clericum actorem, & Laicum reum?

Prima sententia indifferentes docet, potestatem judicandi hac in parte non nisi judici Ecclesiastico, videlicet, Ordinario loci, competere. Ita Anton. Butrius in c. ult. de
I Judic.

Judic. & Coyarriv. Pract. quest. c. 35. n. 1. §. verum si diligenter. cum nonnullis aliis à se citatis. *Secunda* sententia *prima* è diametro opposita potestatem judicandi indistinctè tribuit judici Laico, & defenditur à Guid. Pap. *decis. 71. & decis. 85.* ab Andr. Gaill. *lib. 1. observ. 37. n. 5.* ab Alciat. *Respons. 24. n. 1.* *Tertia* denique sententia distinguit: an controversia sit inter Clericos, vel inter Laicum actorem, & Clericum reum: an verò inter Laicos, vel inter Clericum actorem, & Laicum reum. Priori casu potestatem de causa cognoscendi judici Ecclesiastico, posteriori verò judici Laico defert. Ita Menoch. *de Retinend. possess. remed. 3. q. 52. & de recuperand. possess. remedi. 15. q. 25.*

2 Nobis, ut tam utilitatem Controversiæ, quam mentem nostram dilucidè aperiamus, prænotare lubet, quòd de re spirituali quæstio fieri, & causa moveri possit tripliciter. *Primò:* Si principaliter disceptetur de ipsa rei spiritualis proprietate, quo modo erit quæstio juris, & causa merè spiritualis. Ut si quærat: an matrimonium fuerit validum? an institutio, vel collatio beneficii fuerit canonica, & legitima? an quis teneatur ad solvendas decimas &c. *Secundo:* Si agatur de possessorio, quod causam proprietatis annexam habet; puta, quando facienda est aliqualis probatio super ipso jure, ut si agatur ad restitutionem conjugis: hæc enim quæstio alias sibi quæstiones annexas habet, videlicet: an justa subsit causa separationis? an matrimonium sit validum, nec ne? *Tertiò:* Quando judicio possessorio solum agitur, & disceptatur de mero facto absque eo, quòd aliquid juris interveniat. v. g. si quærat: utrum filius natus sit durante matrimonio? quisnam sit in possessione juris decimandi? an decimæ hoc anno sint ex integro solutæ? an juramentum in contractu intervenierit? vel si Clericus

agat

agat remedio retinendæ possessionis suæ Ecclesiæ contra turbatorem, sive eum, à quo in possessorio retinendæ molestatur; vel si agat interdicto recuperandæ pro calice, reliquiis, aut aliis similibus rebus subtractis: his namque casibus nihil juris intervenit, sed de mero facto disputatur: an nimirum quis possideat? an sit turbatus? &c. per tradita ab Abbate *in c. literas. 2. n. 8. de Juram. calumn.* Quibus sic prænotatis

3 *Concludimus* I. Quæstio juris, & disceptatio principaliter mota super ipsa rei spiritualis proprietate nullo modo neque principaliter, neque incidenter tractari potest coram giudice Laico, sed necessariò decidenda venit ab Ecclesiastico. Ratio est: quia hæc causa, utpote de re merè spirituali, & ipsa merè spiritualis est, eiusque cognitio dependet à præstato spirituali, cujus Laici sunt incapaces. Bellarm. *tom. 1. controvers. l. 1. de Clericis. c. 28.* & patet ex *c. 1. c. 5. c. 6. & 11. dist. 96. c. 14. c. 26. c. 43. causâ 11. q. 1. c. 2. & ibi DD. de Judic. c. 3. de Ordin. cognit. c. 5. & 7. Qui filii sint legit.* Sic subortâ lite de jure patronatûs, sepulturæ, decimarum &c. vel de valore matrimonii, juramenti, voti, electionis, collationis, professionis religiosæ, aliorumque similibus, potestas cognoscendi, excluso iudice Seculari, ad solum judicem Ecclesiasticum spectat, prout aperte probant jura allegata, quibus adde *c. 8. de Arbitr. c. 3. de Judic. c. ult. de Foro compet. Trid. sess. 24. de Sacrament. matrim. can. 12.*

4 *Obijcis* tamen: Judices Laici possunt esse competentes in causis beneficialibus, etiam si de proprietate agatur; sed causæ beneficiales sunt spirituales; ergò Laici possunt esse competentes iudices in causis spiritualibus, etiam si de proprietate agatur. *Majorem* probas autoritate Costalii *in l.*

I 2

de

de quibus. 32. ff. de LL. & Stephan. Aufreth de potest. sacral. super Ecclief. regn. fallent. 25. ubi teste Martâ de Jurisdic. part. 2. c. 40. n. 1. asserunt: Reges, & Principes esse iudices competentes quoad causas beneficiales, etsi de proprietate tractetur, dummodo talia concernant beneficia, quorum collatio ad se pertinet. Constat autem plurimum beneficiorum collationes, præsentationes, & nominationes ad Reges, & Principes pertinere. Sic Augustissimus Imperator potest in omnibus Ecclesiis (exceptis tamen excipiendis) in Imperio sitis, semel personam aliquam idoneam Ordinario Collatori nominare, ut referunt Joann. Andr. in c. 19. de Præbend. in 6. & Specul. in tit. de Præbend. §. restat. n. 2. Sic Rex Ungariæ confert in regnis suis præbendas juxta Bald. & Archid. apud Martam loc. cit. n. 8. qui n. 9. & seqq. idem testatur de Regibus Franciæ, & Hispaniæ, ac videti possunt Glossæ in c. imperator. 5. dist. 10. in c. concilia. 6. v. reverentia. dist. 17. in c. cum longè. 25. dist. 63. in c. hinc est etiam. 39. causâ 16. q. 1. Ergo.

5 Verum, ut leve est, imò levissimum hoc argumentum, ita non nisi levem, imò levissimam, & brevissimam metretur responsionem. Negamus igitur *Majorem* tantò faciliùs, quantò difficiliùs Adversarii eandem probant; qui profectò non tam audiendi, quàm ridendi sunt, quòd privilegia præsentandi, nominandi, aut etiam conferendi beneficia ad jurisdictionem super iisdem beneficiis majori difficultate, quàm tutor eorum, extendant: quasi nescirent, privilegia illa, utpote juri communi vel maxime contraria, strictissimæ esse interpretationis, ac ideò ab uno casu ad alium minimè extendenda. Non dicam, quod dicit Martam ubi supra n. 22. nimirum: privilegia collationum, quamvis Regibus essent concessa, tamen videntur potius coactè

coactè data ad importunas eorum preces, prout firmarunt Cardinal. Jacobat. & Restaur. qui, ut inquit, deplorant angustias nostrorum temporum, postquam gladius temporalis non videtur datus ad tuitionem Ecclesiæ, sed ad ejus depressionem.

6 *Concludimus II.* Judex Laicus neque potest cognoscere de possessorio rei spiritualis, si causam proprietatis annexam habeat. Ratio est: quia, licet talis causa non trahatur ad naturam causæ merè spiritualis, cum principaliter non de jure spirituali, sed solum de violentia disputetur; est tamen quasi spiritualis, seu spirituali annexa, propterea quòd causam proprietatis sibi adjunctam habeat, ad instar juris patronatus, quod, tamen non sit merè spirituale, dicitur tamen propter adjunctam sibi spiritualitatem, spirituali annexum. v. *quandò. 3. de Judiciis.* ac ideò, sicut judex Laicus nec de hoc, ita neque de possessorio, quòd proprietatem rei spiritualis annexam habet, cognoscere potest. Abbas in c. 2. n. 8. de Juram. calumpn. Atque hæc duæ præmissæ conclusiones ita procedunt, & indistinctè verificantur, sive inter solos Clericos, sive inter Clericos, & Laicos, sive etiam inter solos Laicos controversia oriatur, adeò ut ratione spiritualitatis solus judex Ecclesiasticus competens sit.

7 *Concludimus III.* Si de possessorio rei spiritualis lis nascatur inter Clericos, vel inter Laicum actorem, & Clericum reum, similiter solus Judex Ecclesiasticus competens erit, etsi solum agatur de mero facto, & nihil juris interveniat. Ita Menoch. de Retinend. possess. remed. 3. q. 52. Fachin. Controv. jur. lib. 8. c. 15. §. hæc sunt. cum Ferret. Dec. Covarruv. & Ripa apud Martam de Jurisdic. part. 2. c. 39. n. 22. Pro ratione hujus conclusionis stant communes regulæ: quòd actor teneatur sequi forum rei. c. 5. & 8.

de For. compet. quod Clerici à jurisdictione Laicorum sint exempti. c. 2. Eod. c. 10. de Judic. c. 4. de Censib. in 6. adeo ut neque inviti, neque volentes ad iudicium seculare trahi possint, c. 12. & 13. de For. compet. nisi in casibus expressè, & specialiter exceptis, quorum plures enumerat Mynsinger singulari, observat. centur. 2. observ. 67. ex quibus tamen nonnulli valde sunt controversi, ut puta: quod Clericus coram iudice Laico in causa temporali possit reconveniri, vel in causa temporali reali etiam conveniri. Si ita tibi placeat, nobis haud displicet, utrumque hunc casum propter materiz connexionem simpliciter, & absque ulla discussione problematicè proponere, ac utriusque defensionem ex utraque parte subire. Verum, ut adyesto, circa propositam Conclusionem.

Tentaris primo, & objicis: Iudex Laicus est competens, & potest cognoscere de causis merè temporalibus; sed causa possessoria rei spiritualis est merè temporalis; ergo Iudex Laicus quoad hanc erit competens, poteritquæ cognoscere. Sed, ne hanc tuâ tentatione aliquatenus videamur inducti, sine ambage concedimus totum: vagatur enim hoc argumentum extra spheram nostræ Conclusionis, & casum propositum minimè tangit: cum non dicamus, Iudicem laicum ideò esse incompetentem, quia causa est spiritualis; hoc, inquam, non dicimus: sed quia Clerici à foro seculari ita sunt exempti, ut neque volentes illuc trahi possint, sed necessariò coram Ecclesiastico conveniri debeant, nisi in casibus specialiter exceptis, inter quos non reperitur casus nostræ conclusionis.

Tentaris secundo, & plures, quàm astas alit muscas, scrupulos tibi causant multiplices insignium virorum auctoritates, praxes quoque, & usus, ac consuetudines locorum, quas fuso calamo refert Doctor Marra de Jurisdic. part. 4. centur.

centur. 1. casu 38. n. 1. & seqq. Et in specie de Curia Parliamenti Parisiensis, & Delphinialis testatur Guid. Pap. apud Mynsinger. cit. observ. 67. & Covarr. Pract. qq. c. 35. n. 1. nimitum: usum Galliz forensis esse, quod Iudices seculares etiam inter Clericos de possessorio cujuslibet cause spiritualis cognoscant. Item quod inhibeant iudicium petitorio, donec lis finita fuerit super possessio, prout testis est Ioann. Gallus relatus à Covarruv. loc. cit. Quapropter, inquis, cum sit dubium: an Laicus in proposito possit cognoscere, nec ne? hinc standum erit pro usu, praxi, & consuetudine, quæ in dubio optima leguntur interpret. l. 32. in princ. & l. 37. ff. de LD.

Respond. Nobis hac in parte propter assignatas rationes nec quidquam dubii superesse: cum in solam iuris, iustitizque veritatem inquiramus, parùm anxii de eo, quod sit: sed de eo, quod fieri deberet, collecti, satisque edocti, non omne, quod obtinet usu Gallicano, desumptum esse ex tripode Romano.

Concludimus IV. Si lis super nudo possessionis facto nascatur inter Laicos, vel inter Clericum actorem, & Laicum reum, etiam Iudex Laicus competens erit. Ratio est: quia causa possessionis, & questio facti: an videlicet decimæ sint solutz? an iuramentum contractum fuerit adjectum &c. nihil habet spiritualitatis, sed est aliquid merè temporale. Gloss. in c. literat. 2. ibique Panormit. n. 8. de Juram. calumn. ubi dicit, quod in simili videamus, Iudicem laicum cognoscere de injuriâ illatâ Clerico, vel Ecclesiz consecratæ: quia non iudicat de ipso spirituali, sed de iniuria spiritualitati illata, ut in c. 8. de For. compet. & in l. 10. Cod. de Episc. & Cler. Similiter si agatur de observantia iuramenti, questio haud erit spiritualis, sed merè temporalis,

poralis, & iudex laicus se intramittere, ac contravenire volentes ad iuramenti observantiam compellere potest. *c. 2. de iur. in 6.* Quemadmodum & ipsa nuda rei spiritualis detentio, utpote meri facti, rectè in laicum cadit. *Aug. c. 1. de Pignori. & notat Gloss. in c. causam. 7. de Praescript.* Atque hoc sensu (quod nempe questio, super possessorio rei spiritualis, sit temporalis, questio verò super proprietate sit spiritualis) rectè dici potest: possessionem nihil commune habere cum proprietate, juxta *l. naturaliter. §. 1. ff. de Acquir. vel amitt. possess.*

13 Denique pro huius Conclusionis probatione aperti videntur esse textus partim in *c. 5. & 8. de For. compet.* ubi generale esse asseritur, quòd actor sequatur forum rei; cum igitur, secundum dicta, questio super possessorio rei spiritualis sit merè temporalis, nihil obstabit, quò minus dispositio, & regula horum textuum etiam in praefato possessorio locum habeat, praesertim quòd in *d. c. 5.* non fiat distinctio: an res Ecclesiae temporales, an verò spirituales fuerint ablatae? sed generaliter dicitur: *si Clericus laicum de rebus suis, vel Ecclesiae impetierit, & laicus res ipsas non Ecclesiae esse, aut Clerici, sed suas proprias asseruat, debet de rigore juris ad forenses iudicem trahi: cum actor forum rei sequi debeat.* Partim in *c. ult. de Judiciis.* ubi Honorius III. approbat sententiam, quam saecularis potestas Florentina pro Abbate, & Conventu S. Mariae de Florentia tanquam actore promulgavit contra laicam communitatem castri de Signa tanquam ream super possessione, vel quasi iuris ibidem eligendi Rectorem; questionem verò proprietatis ad iudicem ecclesiasticum avocandam decernit, ut rectè exponit Gloss. in *d. c. ult.* Unde palam fit, Iudicem saecularem hac in parte competentem, & sententiam super possessorio latam

validam

validam fuisse: aliàs enim S. Pontifex eandem non tam approbasset, quàm reprobasset.

Neque dicas primò: In casu *d. c. ult.* non fuisse disceptatum super possessorio rei spiritualis, sed solum super possessorio rei temporalis: quia ibi non exprimitur, quòd actum fuerit de eligenda persona ecclesiastica ad rectoratum ecclesiasticum. Respond. enim: de hoc sufficienter constare ex eo, quòd S. Pontifex causam proprietatis ad iudicem ecclesiasticum avocandam decreverit, quòd non fecisset, si questio mota fuisset de re merè temporali, super qua iudex laicus non tantum quòd ad possessorium, sed etiam quòd ad proprietatem rectè cognoscit. *c. si clericus. §. de Foro competent.*

Neque dicas secundò: Si quis malefactor à iudice laico apprehensus dicat: se esse Clericum, iudex laicus super hoc facto: an nimirum malefactor Clericus sit? non potest cognoscere, sed ad iudicem Ecclesiasticum causam remittere debet. *c. si iudex. 12. de Sentent. excomm. in 6.* Ergò neque cognoscere potest super aliis factis V. G. an decimae sint solutae? an uxor marito cohabitet &c. Respond. Hic praesumi, malefactorem esse Clericum, & contra eum agi tanquam reum, quo casu juxta dicta in conclusione praecedenti solus iudex ecclesiasticus competens est.

Neque dicas terriò: Iudex, qui cognoscit de proprietate, etiam cognoscere debet de possessione. *c. 1. de Caus. possess. & propriet.* quia continentia causarum, qualis esse noscitur inter possessorium, & petitorium, dividi non debet. Gail. 1. observ. 70. n. 3. adeò ut illi, qui continentiam causae nititur dividere, & coram uno de possessione, coram altero de proprietate agere intendit, audientia denegari debeat. *l. nulli. 10. Cod. de Judiciis.* Ergò cum de proprietate

K

to

te rei spiritualis solus iudex ecclesiasticus cognoscat, idem quoque cognoscere debet de causa possessionis. *Respond.* cum *Gloss. in c. ult. R. super proprietate, Eod.* Id verum esse, ac locum habere, quando actor, & reus sunt eiusdem fori, non verò si forum habeant diversum, prout habent in presenti. Vel retorquendo argumentum dic: Iudex laicus cognoscit de causa possessoria rei spiritualis, ut supra monstratum; ergò etiam debet cognoscere de eiusdem rei proprietate. Ecce! quàm longè hoc sit erratum. Quapropter prædictas regulas non nisi regulariter, & cæteris paribus veras esse, firmiter crede, & nullatenus dubita.

17 Neque dicas *Quartò*: de causis, & negotiis ecclesiasticis Iudex laicus non potest cognoscere, *c. 2. de Judiciis.* Atqui causa possessoria rei spiritualis est ecclesiastica; ergò. *Min. probas per Clem. un. de Caus. possess. & propriet. Clem. un. de Sequest. possess.* ubi causa beneficiæ tam possessoria, quàm petitoria coram iudice ecclesiastico tractanda esse asseritur: bono argumento, utramque causam esse ecclesiasticam. *Respond.* Negando, quòd possessorium rei spiritualis sit negotium ecclesiasticum, si *ly ecclesiasticum* strictè accipiantur, & prout idem significat, ac *spirituale*; quòdli verò *ly ecclesiasticum* latè sumas, ac ita, ut omnes planè causas sive temporales, sive spirituales quocunque modo, vel ad res spirituales, vel ad ecclesias, vel ad personas ecclesiasticas, spectantes comprehendat, sic ultrò concedimus, possessorium rei spiritualis esse quidem causam ecclesiasticam, sed solùm temporalem, de qua etiam iudici Laico iudicare permittitur. Deinde *in d. Clem. un. de Caus. poss. & propr.* id saltem dicitur, quòd lis super causa beneficiæ tam in possessorio, quàm petitorio moveri possit. In altera verò *Clementina* est casus, quo reus fuit Clericus, adeoque nihil contra nos.

Instas:

Instas: Si iudex laicus posset cognoscere super possessio- 18
rio rei spiritualis, posset quoque cognoscere super causa Possessoria beneficiæ; atqui de hac non potest cognoscere, sicut decisum videtur *in d. Clem. un. de Caus. possess.* & ratio est: quia in causa possessoria beneficiæ necessarium est cognoscere de titulo juxta *Glossas*, & *DD.* quos refert, & sequitur *Marta de Jurisdic. part. 2. c. 39. n. 23. & seqq.* de quo, tanquam re merò spirituali, laicus cognoscere non potest. Ergò. Verùm minùs audacter asseris, quòd probare non sufficit: esto enim, quòd probatum, & cognitio de titulo quandoque requiratur, & sic causa propter annexam spiritualitatem non nisi à iudice ecclesiastico definiri queat, conformiter traditis supra *in Conclus. 2.* Id tamen non videtur semper necessarium, cum etiam de nudo possessionis facto disceptari possit. Ad allegatam verò *Clem. un. respon-* sio prima pro secundo tibi sufficiat.

CONTROVERSIA IX.

An juri luendi pignoris præscribi possit?

SUMMARIUM.

1. Adstruitur species facti.
2. Rationes dubitandi.
3. Rationes decidendi.
4. Confutatio contrariorum.

PRO faciliori Controversiæ intellectu finge: me ante 30. I
aut 40. annos ratione mutui à te accepti oppignorasse tibi in securitatem debiti catenam auream, quam nunc præmum elapso longissimo tempore à te peto, & offerendo debitam solutionem redimere intendo. *Controvertitur:*

K 2

anne

anne catenam auream mihi reddere tenearis, an verò exceptione præscriptionis me petentem repellere possis?

2 Et videtur primâ fronte, hoc nitimum esse dicendum, quòd nempe exceptione præscriptionis munitus jure me repellere valeas. Nam I. expediti juris est, quòd *actiones, quæ antea non sunt motæ, 30. annorum juri silentio vivendi ulterius non habeant facultatem. l. 3. Cod. de Præscript. 30. vel 40. annor.* Ergò etiam actioni ad repetendum pignus vivendi facultas ulterius non erit, sed post cursum longissimi temporis pro mortua habebitur. II. Omnia alia jura longissimi temporis lapsu expirant. *l. 4. C. Eod. ibi: nullumque jus privatum vel publicum in quacunque causa, vel persona, quod prædictorum 40. annorum extinctum est juri silentio, moveatur.* Ergò similiter expirabit jus reluendi pignoris. III. *in l. 10. C. de Pignor. act.* solummodò exceptum reperitur tempus longum, quo præfato juri præscribi nequit; ergò aliud dicendum erit de tempore longissimo, ad eò ut lapsu 30. vel 40. annorum præscriptio rectè procedat. IV. Rectè præscribi potest juri retrahendi, puta: si inter emptorem & venditorem placuerit, ut hic refuso pretio rem venditam redimere queat: quia hoc jus competit venditori quâdam actione personali, quæ 30. annorum spatio tollitur. *d. l. 3. Cod. de Præscript. 30. vel. 40. annor.* Ergò eodem modo præscribi poterit juri reluendi pignoris: quia etiam hoc jus ex actione competere videtur. V. Casu, quo diversis temporibus eadem res duobus jure pignoris nequitur, posteriori creditori competit jus, & facultas, quâ priori creditori debitam quantitatem offerendo jus pignoris sibi constituere possit. *l. 1. l. 5. l. 8. Cod. Qui potior. in pignor. l. ult. Cod. de His, qui in prior. cred. loc. cui facultati, seu juri prior creditor rectè præscribit, si posterior quantitatem debitam intra*

spatium

spatium 30. annorum offerre negligat. *l. 7. §. 3. & ibi Gothofred. lit. 7. Cod. de Præscript. 30. vel 40. annor.* Ergò pariformiter creditor respectu debitoris rectè præscribet facultati, & juri reluendi, seu redimendi pignoris.

3 Fateor non minus speciosa, quam ponderosa hæc esse argumenta, non tamen tanta, ut me, gravioribus planè rationibus suffultum, in partem suam inclinate valeant. Unde his non obstantibus intrepidè concludo: juri luendi pignoris præscribi haud posse; idque sequentibus fundamentis stabilio, inter quæ *primum*, quòd ea, quæ consistunt in mera facultate, & libero cujusque arbitrio relinquuntur, præscriptione tolli nequeant. *arg. l. viam 2. ff. de Via publ. Zoësius ad ff. tit. de Usurp. & usuc. n. 40.* Atqui jus reluendi, vel offerendi consistit in mera facultate debitoris, & redimentis: cum huic omninò liberum sit, pignus redimere, nec ne? Deinde, cum non entis non sint qualitates, nec sine privatione detur habitus. *arg. l. 1. §. 1. ff. Comm. Præd. C. l. 5. §. ult. ff. de In lit. jurand.* manifestum est, actioni nondum natae non posse præscribi. *l. 3. C. l. 7. §. 1. Cod. de Præscript. 30. vel 40. annor. ibi: ex quo jure competere ceperunt. C. l. 1. §. 1. Cod. de Annal. except. ibi: sed ex quo ab initio competit, & semel nata est.* At verò actio pignoratitia ad repetendum pignus non nisi facta solutione nascitur per textum luculentum *in l. 9. §. 3. ff. de Pignor. act.* qui sic habet: *omnis pecunia exsoluta esse debet, aut eo nomine satisfactum, ut nascatur pignoratitia actio.* Ergò &c. Ad hæc ut procedat præscriptio, suumque fortiatum effectum, necessum est, ut præscribens rem possideat tanquam suam, & jure domini, qualiter rem oppignoratam possidere nequit is, cui res pignori nexa est, cum tantum possideat jure obligationis, & pro alio, ad eò ut possessio hæc profit ad usucapionem ipsius-

K 3

met

met debitoris, nullatenus verò ad usucapionem creditoris per textum apertum in l. 13. in pr. ff. de Usurpat. & usucap. ubi dicitur: *pignori rem acceptam usu non capimus: quia pro alieno possidemus.* Accedit, quòd nulla possit esse præscriptio, quæ adminiculo bonæ fidei non sit munita: cum possessor malæ fidei nullo unquam tempore præscribat. c. ult. & ibi DD. de Præscript. Constat autem, creditorem esse possessorem malæ fidei: quia certò novit, rem oppignoratam esse alterius; ergò nullo unquam tempore præscriber.

4 Argumenta contraria facili operâ enervantur. Nam textus primo & secundo loco allati solùm intelligendi veniunt de jure actionis, ac iis, quæ de jure competunt, non verò de aliis, quæ sunt meræ facultatis. Vel certè exaudiri possunt de casibus, quibus actio jam est nata. Tertium argumentum inde vires non habet: quia in d. l. 10. & l. 10. Cod. de Pignor. act. (quamvis solùm fiat mentio longi temporis, & per hoc juri luendi pignoris non posse præscribi dicatur) tamen exinde tempus longissimum non excluditur, neque propter rationes assignatas ullatenus exclusum conferri potest. Vel certè, si Prædictarum legum sensus esset, quòd tempore longissimo juri reluendi possit præscribi, id secundùm dicta eo saltem casu procederet, quo actio jam fuit nata. Quartum eo ipso nihil probat, quia incertum per incertum probare nititur: siquidem æquè incertum est: an juri retrahendi possit præscribi? quàm incertum esse noscitur: an possit præscribi juri reluendi pignoris, prout videre est apud Covarruv. *variar. resol. lib. 1. c. 9. n. 2.* Sed transmissio etiam, quòd juri retrahendi possit præscribi, nihilominus satis congruam disparitatem assignat Zoësius in *Comment. ad ff. lib. 41. tit. 3. n. 41.* dum ait: licèt negari non possit, quin in jure retrahendi agatur etiam de offerendo pretio, non tamen

ram

tam agitur de nudo facto, quàm secundùm actionem jam natam, & quæsitam ratione pacti, & obligationis personalis de retrahendo, oppositæ tempore venditionis, quæ cum sit nata, negligens eam 30. annis, actioni personali præfinitis, eandem amittit. l. 3. Cod. de Præscript. 30. vel 40. annor. Ad quintum ratio disparitatis in eo consistit, quòd jus comperens posteriori creditori, ut priori debitam quantitatem offerendo jus pignoris sibi constituere possit, se habeat per modum actionis, beneficii, & privilegii, ac propterea lapsu 30. annorum perimatur. l. 7. §. 3. Cod. Eod. Confer Covarruv. d. c. 9. & Andr. Gaill. lib. 2. observat. 18. cum pluribus ibidem relatis.

CONTROVERSIA X.

An Contractus solo jure positivo humano irriti firmentur adjecto juramento?

SUMMARIA.

I. Conclusio affirmativa. 2. Facti species. 3. usque 6. Afferuntur probationes. 6. & seqq. Infirmantur argumenta Adversariorum.

UT in hac aliàs tam celebri, quàm ampla, latâque Controversia toti sumus compendiossi, sine ullo circuitu concludimus Affirmativè; modò tale juramentum, contractui adjectum, non sit contra bonos mores, sed de re licita; non dolò, aut vi obtentum, sed sponte præstitum.

Ut ecce! Narcissus Pater sufficienti dote munerat Flo-
ram suam filiam. Hæc suâ dote contenta omni ulteriori
paternæ

paternæ successioni renuntiat, & quod hinc suo pacto nolit contravenire, spontaneo juramento promittit. Post aliquod temporis intervallum Narcissus decedit intestatus, pinguem post se hereditatem relinquens. Flora, hujusmodi hereditatis pinguedine illecta, petit se unâ cum aliis liberis ad successionem patris admitti. Queritur: an renuntiatio, & pactum Floræ, aliàs de jure irritum, per adjectionem juramenti ita firmetur, ut exinde non tantum obligatio religionis, seu insuper obligatio justitiæ enascatur; & per consequens: an Flora propter utrumque obligationis vinculum à successione repelli queat? Id quod affirmamus, &

3 *Probamus I.* Per textum in *Auth. Sacramenta puerum. Cod. Si advers. vendis.* ubi perspicue habetur: *Sacramenta puerum, sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis, inviolabiliter custodiantur.* Qui textus juxta Glossam *ibid. V. contractibus.* eo quoque casu intelligendus venit, quo contractus ipso jure irritus est. Nec sine ratione: quia imprimis de contractibus rescindibilibus, quod nimirum per adjectionem juramenti convalidentur, jam ante sufficienter expressum fuerat, puta: *int. 1. Cod. Eod.* ubi perspicue decisum reperitur, minores non posse contravenire suo juramento, quo alienationes prædiorum auctoritate Prætoris factas confirmant. Deinde de jure Canonico id procedit etiam quoad contractus ipso jure irritos, ut statim demonstrabimus; ergo idem dicendum erit de jure Civili: quia vnum jus per alterum interpretatur, & sine expresso textu non est facienda differentia. *arg. c. 1. de N. O. N. c. 29. de Elect. in 6.*

4 *Probamus II.* Per textum in *c. cum contingat. 28. X. de Jur. jur. c. licet. 2. Eod. in 6.* ubi (quamvis pacta quibus constante matrimonio alienationibus dotium, & donationum propter nuptias

nuptias renuntiant, secundum leges Civiles noscantur esse nulla, & irrita) nihilominus si liberè absque vi, & dolo juraverint, quod suis promissis nolint contravenire, pacta sua, & juramenta omninò servare obligantur: quia in alterius præjudicium non redundant, neque observata vergunt in dispendium salutis æternæ; non levi argumento, contractus de jure irritos per jurisjurandi appositionem firmari: præsertim quod in *d. c. cum contingat.* aperte dicatur, mulieres alienationibus super rebus dotalibus sæpius consentire, *ne ulterius contraveniant proprio juramento firmando.* Unde haud difficile colligis, S. Pontificem ibidem clarè supponere, quod pacta, & contractus prædicto modo firmari possint.

5 *Probamus III.* Per textum in *c. quamvis. 2. de Pact. in 6.* ubi præposita facti species omninò inclusa, decisæque videtur, dum Bonifacius VIII. disertis, apertisque verbis edicit: *quamvis pactum patri factum à filia, dum nuptus tradebatur, ut dote contenta nullam ad bona paterna regressum haberet, improbet lex Civilis: si tamen juramento, non vi, nec dolo præstito, firmatum fuerit ab eadem omninò servari debet: cum non vergat in æterna salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum.* Ex quibus specialitè notâ dignas advertendâ primò voces: *si juramenta firmatum fuerit:* quas expressè demonstrant, pactum per appositionem juramenti firmari, seu, quod idem est, firmitatem, virtus, ac robur acquirere. *Secundâ* particulas: *omninò servari debet;* quæ non ad juramentum, sed ad ipsum pactum juramento firmatum referuntur, & hoc omninò servari debere clarissimè edicunt. *Tertiò* vocabula illa: *nec vi, nec dolo præstitum.* Item: *cum non vergat in æterna salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum.* quibus perspicue denotatur: pactum tunc solum juramento non firmari, quando hoc vi, aut dolo facti præstitum,

tum, vel si vergit in dispendium animæ, aut in præjudicium tertii redundat; ergo si seclusâ vi, & dolo liberè præstetur, nec cedat in periculum animæ, aut præjudicium tertii, pactum per hujusmodi juramenti adjectionem procul dubio firmabitur. Sed contra cum Clariss. D. Doct. Gletle in *Tract. jurid. de Pact. & Contract. c. 2. §. 4. n. 10.*

6 *Objctis I.* Si juramentum haberet vim, & efficaciam firmandi contractus, hoc proveniret vel ex ipsa natura rei, vel ex dispositione juris humani. Atqui nihil horum dici potest. Non prius: quia juramentum ex natura sua solum producit obligationem religionis, quâ jurans curare tenetur, ne Deus in testem falsi sit adductus, id quod rectè præstare potest, quamvis contractus intra lineam justitiæ maneat invalidus. Non postecius: quia clarus juris textus non reperitur, qui juramento talem efficaciam tribuere aliâs præfecto tot præstantes viri contrariæ opinioni nequaquam subscriberent. *Respond.* Nos immediate antea abundè demonstrâsse, juramentum prædictam efficaciam habere ex dispositione legis in textibus allegatis, quæ nobis hæcenus sunt clarissimi, quod verò aliis videantur subobscuri, non credimus, ex aliqua intellectûs caligine, sed inde forsan provenire: quia quot capita, tot sententiæ.

7 *Objctis II.* Prædicta jura velut commodissimè possunt, ita quoque exaudiri debent de obligatione religionis, adeo ut juramenta quidem valeant, & ordinarium producant effectum, non verò ut effectum extraordinarium, scilicet obligationem justitiæ, contractibus tribuant, eum tam in *d. auth. Sacramenta puberum. Cod. Si advers. vend. quàm in c. 28. de Jurejur. & c. licet. 2. Eod. in 6.* sola juramenta servanda esse dicantur. At verò nisi nos fallimur, tu certo certius falleris eo ipso, quod verba textuum pro solo tuo gustu detruncare,

care, & minùs integra nobis obtundere præsumas: siquidem non tantùm juramenta servanda, sed etiam facta juramento firmata dicuntur *d. c. 28. ibi: proprio sacramento firmando. d. c. 2. ibi: proprio juramento firmantes. & c. 2. de Pact. in 6. ibi: si juramento firmatum fuerit.*

Deinde cum præfata jura nominatim loquantur de juramenti nec vi, nec dolo præstitis, hisque pacta firmari expressè pronuntient; sequitur sanè, juramenta liberè præstita majorem obligationem inducere, quàm juramenta per vim, aut dolum extorta, quæ majoritas in alio consistere non potest, quàm in obligatione justitiæ: siquidem etiam juramenta vi, aut dolo præstita obligationem religionis inducunt per *c. debitores. 6. & c. severò. 8. de Jurejur. traditque Molin. de J. & J. tom. 1. tract. 2. disp. 149. n. 4.*

Neque putes primo, te rem acutè tangere, si dicas: majoritatem obligationis in eo consistere, quod juramentum spontè præstitum debeat inviolabiliter adimpleri, ita ut jurans neque momentaneâ solutione, neque facili juramenti relaxatione ab obligatione religionis liberari possit, sicut tamen liberari potest ab obligatione juramenti vi, aut dolo præstiti. Nam contra est: quod præallegata jura non solum loquantur de observatione juramenti, sed etiam de confirmatione, & observatione pacti, adeo ut hoc per juramentum firmari, & sic firmatum observandum esse, manifestè edicant.

Neque putes secundo, pactum juramento firmatum observari quidem debere, sed solum ex virtute religionis, non verò ex virtute justitiæ. Nam putas equidem, sed erras forsitan: quia divinas tantùm, neque hæc expositio præcitaris juribus satis benè congruere videtur. Quodsi enim ibidem sermo foret de sola virtute, & obligatione religionis, tunc omninò suffecisset dicere, quod juramentum, pacto irritato

adjectum, propter dispendium animæ observandum sit; nec ullatenus opus fuisset dicere: pactum juramento firmari, & firmatum observari debere: cum obligatio religionis non nascatur ex pacto, sed solum ex juramento; tacendo quod verba legis debeant aliquid operari, & quod alias, si pactum maneret nullum, non posset rectè dici observari debere: quia quod nullum est, sicut nullum producit effectum, ita quoque ad sui observantiam non stringit.

Obijcis III. Id, quod est nullum, sicut non potest infirmari, ita neque potest firmari; Atqui pactum jure irritatum est nullum; ergò sicut non potest infirmari; ita neque potest firmari. Verùm huic argumento rectè applicatur distinctio, quam refert *Gloss. loc. cit. n. 13.* cum ait: pactum jure irritatum esse quidem nullum formaliter: quia non habet formam à lege præscriptam; non verò materialiter, quasi omninò nihil esset: quia est aliquid, puta, actus inter pacificos celebratus. Unde in forma responderi potest: Id, quod est nullum tam materialiter, quàm formaliter, sicut non potest infirmari, ita neque potest firmari, conceditur *Major*: Id quod est nullum tantum formaliter, non verò materialiter negatur *Major*. Et sic distinctà *Minore* negatà *Consequentiâ*. Instantiam sume ex *c. significasti. 4. de Elect.* unde constat, acta Conciliorum absque sedis Apostolicæ auctoritate esse nulla, id est, formaliter quatenus nullius sunt valoris, roboris, aut efficaciæ; quod si tamen ex post facto præfata auctoritas accedat, nullum sanè videtur dubium, quin acta illa firmantur, roborentur, convalidentur.

Obijcis IV. Juramentum, pacto à jure irritato adjectum, ipsum est nullum, ergò nullam penitus firmitatem eidem tribuere potest. *Min. probas*: partim ex eo, quod juramentum tanquam accessorium sequatur naturam pacti tanquam principalis.

principalis. *c. 6. cum allegatis ibid. à Gloss. V. nec accessorium. de Fide. instrum.* Adeòque sicut pactum ipsum, ita quoque juramentum penitus erit nullum, nec quidquam firmitatis habebit. Partim ex eo, quod tale juramentum, utpote contra leges præstitum, hoc ipso videatur adversari bonis moribus, & per consequens nullius esse valoris. *c. inter cetera. 22. caus. 22. q. 4. c. quanto. 18. de Jurejur. Resp.* Negando *Antecedens*. Ad *Primam probationem* dico, accessorium sequi suum principale regulariter, non verò in casibus exceptis: inter quos nostra facti species merito numeratur: ubi per jura allegata non solummodo ipsum juramentum valere, sed & pactum juramento firmatum esse dicitur; id quod nihil est tati, sicut nihil rari est, quod accessorium propter periculum animæ quandoque magis consideretur, quàm principale, ac propterea illud sine hoc jure sustineatur. *c. debitores 6. & ibi Gloss. V. cogi non debet. de Jurejur. Secunda probatio* plus non meretur, quàm cordatam negationem: quia tale juramentum bonis moribus minimè repugnat; cum eius observatio non tantum sit licita, sed etiam præcepta, adeò ut non tantum possit, sed etiam debeat executioni mandari. *d. c. 6. & c. 28. de Jurejur. c. 2. Eod. in 6.*

Obijcis V. Quando actus à lege est irritatus, tunc neque hic, neque juramentum desuper interpositum tenet *l. juris gentium, 7. §. & generaliter. 16. ff. de Pact. l. non dubium. §. 1. Cod. de LL.* Ergò actus vel contractus à jure irritati non firmantur per adjectionem juramenti. *Resp.* Hos textus vel per *auth. Sacramenta puberum. Cod. Si advers. vend. esse correctos*, vel loqui de contractibus, qui adversantur bonis moribus, vel bono publico, vel cedunt in præjudicium tertii, ut notat *Brunnem. ad d. auth. n. 6. & in specie plures similes contractus, qui juramento firmari nequeunt, enumerat Gomez. resol. tom. 2. c. 14. n. 24. ubi vide.*

CONTROVERSIA XI.

Possitne pater testamento tutorem dare filio exhæredato?

SUMMARI A.

1. Afferuntur fundamenta opinionis negativæ. 2. Stabilitur sententia contraria. 3. Respondetur objectionibus.

PUtaveris primo intuitu, sententiam negativam esse certissimam. *Primo*: quia elata habetur juris dispositio, quod nemo possit tutorem dare cuiquam, nisi ei, quem in suis hæredibus, cum moritur, habuit, habiturusve esset, si vixisset. *l. quo tutela, 73. §. 1. ff. de R. J. cui adde l. 1. in princ. ff. de Testam. tutel. ibi: lege duodecim tabularum permissum est parentibus, liberis suis sive feminini, sive masculini sexus, si modo in potestate sint, tutores testamento dare.* Atqui filius exhæredatus non est suus hæres. *l. 1. §. 10. ff. de Suis, & legit. hæred. ibi: etiam si sui hæres non extiterunt, ut puta exhæredatos.* Ergò huic pater non potest testamento tutorem dare. *Secundo*: Si pater filio exhæredato posset jure tutorem dare, opus non esset, ut hic à Prætoribus confirmaretur: siquidem tutor jure datus confirmatione non indiget. *l. 1. §. 1. ff. de Confirmat. tut.* Ergò, cum tutor filio exhæredato datus indigeat confirmatione Prætoris per textum luculentum *in l. in re nostro, 26. §. 2. ff. de Testam. tutel.* hinc necessariò videtur inferendum, quòd pater filio exhæredato tutorem testamento dare nequeat. *Tertio*: Si filio exhæredato rectè posset testamento dari tutor, sequeretur, posse aliquem testamento tutorem dari separatim absque pecunia: quia ad exhæredatum nihil

nihil ex pecunia, vel hæreditate transfertur; atqui sequela noscitur esse falsa per *l. saepe, 53 in princ. ff. de V. S.* ubi absolute asseritur, tutorem separatim sine pecunia dari non posse. Ergò.

Verumtamen magis est, ut subscribam sententiæ affirmativæ cum Zoëlio *in Comment. ad Digest. lib. 26. tit. 2. n. 2.* per textus *in l. 4. in princ. l. 10. §. 2. in fin. & l. 31. ff. de Testam. tutel.* in quibus apertissime dicitur, quòd pater filio vel instituto, vel exhæredato tutorem dare possit. Et ratio est: quia facultas dandi testamento tutorem solummodò dependet à patria potestate, *l. 1. in princ. ff. Eod. ibi: si modo in potestate sint.* Igitur, cum filius per exhæredationem à patria potestate non solvatur. *arg. t. t. Inst. Quib. mod. patr. potest. solv.* rectè eidem per testamentum dari poterit tutor.

Nec quidquam movent in contrarium allata argumenta. Nam quoad *primum* negatur *Minor*: quia, secundum dicta, exhæredatio civitatem non tollit: hæc enim consistit in eo, quòd aliquis sit in patria potestate, & in proximo potestatis gradu. *§. 1. Inst. de Hæred. qualit. & differ:* adeò ut exhæredatus quoad actum primum maneat suus hæres, quamvis actus secundus ab exhæredatione impediatur. *Secundum* magis pro nobis est, quam quòd Adversariis patrocinium præstare valeat. Siquidem *in d. l. 26. §. 2. ff. de Testam. tutel.* habetur casus, quo filius exhæredatus, cui pater testamento tutorem dederat, movit querelam inofficiosi, propter quam, non verò propter exhæredationem, rectè dicitur, tutorem à Prætoribus confirmandum esse: quia videlicet ambiguum erat, an non testamentum tanquam inofficiosum aliquando evertatur. quo eventu utique necessaria est tutoris confirmatio, ut notat Gothofred. *ad d. §. 2. lit. S.* & satis indicatur in ipso textu, qui dicit, tutorem filio exhæredato datum

datum propter litem inofficiosi testamenti ordinandam à Præ-
tore confirmandum esse. Et dum ulterius additur: *eventus*
etenim judicata rei declarabit, utrum ex testamento patris, an
ex decreto Prætoris auctoritatem acceperit; manifestè apparet,
quòd tutor ex testamento patris valido, & per querelam
non everso auctoritatem accipere, & consequenter testamen-
to legitimè tutor dari possit; quemadmodum è contra, si te-
stamentum tanquam inofficiosum per querelam fuerit ever-
sum, tutor auctoritatem suam accipit ex decreto Prætoris.
Tertium ex eo nimium vacillat, quia sensus *d. l. 53. ff. de V. l.*
S. non est iste: quasi filio tutor dari nequeat, nisi etiam pec-
cunia, vel hæreditas ad ipsum perveniat; sed longè alius &
diversus, puta: quòd tutor testamentarius dari nequeat sepa-
ratim sine pecunia, id est, nisi simul de pecuniis, aliisque
bonis in testamento legitimè disponatur per hæredis institu-
tionem, sine qua procul dubio, sicut nec ipsum testamen-
tum, ita neque tutoris datio subsisteret: hæc namque à valore
testamenti æquè dependet, ac valor testamenti dependere non
scitur à legitima bonorum dispositione, hæredisque institu-
tione. Ad hæc, cum primarius fidei tutelæ consistat in gu-
bernatione personæ pupilli, planè non videntur esse ratio, cur
filio exhæredato nequeat testamento tutor dari. Tacendo,
quòd filius etiam bona aliunde V. G. ex hæreditate materna
provenientia habere possit, ratione quorum administratio tu-
toris necessaria foret, ut benè, rectèque advertit Clariss. D.
Ernest. Frid. à Somering in *Intrad. in univers. jus. lib. 1. tit.*
14. §. 4. n. 7. & videri potest Clariss. D. Joann. Balh. Braun
in *Tract. jurid. de Testament. tutel. n. 11. & seqq.* quorum
memoriam, & operam omnibus com-
mendatam velim.

CON-

CONTROVERSIA XII.

Utrum transactio ob læsionem immo-
dicam rescindi possit?

SUMMARIUM.

1. *Species facti.* 2. *Referuntur Authores pro utraque parte.* 3. *Ratio-
nes dubitandi.* 4. *Rationes decidendi.* 5. *Confutatio contrariorum.*

Quoniam hæc Controversia non tantum in scholis, sed
etiam in foro multas alias famam, dignitate, & celebri-
tate conspicuas Quæstiones facile superat; ideò in ordine
ad exactam eius intelligentiam, brevem hinc fingere, si-
cutamque referre, relatamque per Rationes dubitandi, deci-
dendi, & contraria confutandi resolvere lubet speciem facti.

Fac ergò, tibi que imaginare: quòd ex scripturis, & in-
strumentis tuis deprehendas, fundum Cornelianum, hæc-
tenus per aliquod temporis spatium à Sempronio possessum,
antea tam quoad proprietatem, quam quoad possessionem
ad te pertinuisse; quapropter quia ambiguus hæres, magis ta-
men putas, Sempronium nondum legitimè præscripsisse,
hinc litem desuper eidem movere, & fundum vindicare me-
ditaris, atque de hac tua meditatione Sempronium certiorè
reddis. Hic (quia forsitan similiter de legitima præscriptio-
ne omnino certus non est, & dubitat, an is, à quo fundum
ex emptione, donatione, vel alio hujusmodi titulo acqui-
sivit, dominus fuerit) litis, ac evincendi fandi metu impul-
sus, summam 200. florenorum, nomine transactionis, offert,
quam tu, putans, verum fundi pretium non nisi ad 200. &
aliquot fl. se extendere, eodem nomine accipis, & à cogita-

M

ta

ta lite abstines. Verùm paulò post incipit evidenter constare, quòd præscriptio deficiat, & fundus revera ad te pertineat, quòdque in transactione ultra dimidium læsus sis, quia verum fundi pretium ad 450. floren. se extendit. Quà de causà transactionem rescindere, fundumque vindicare volens quæris: anne id jure possis, nec ne?

2 *Affirmativè* tibi respondent Barthol. in l. Lucius. 78. §. ult. ff. Ad SC. Trebell. & in l. 2. Cod. de Rescind. vend. Socin. sen. in Consil. 85. n. 3. lib. 1. Socin. jun. in Consil. 129. n. 48. lib. 1. Decius in Consil. 60. n. 4. & Consil. 597. n. 10. Butr. in c. cum causa. 6. de Empt. vend. Pinell. in cit. l. 2. part. 1. c. 4. n. 14. P. Ludov. Engl. in Colleg. jur. Canon. lib. 1. tit. 36. n. 14. & alii, quos refert Zoëlius in Comment. ad ff. lib. 2. tit. 15. n. 47. Econtra *negativè* decidunt Bald. Jas. Arctin. Zas. Salic. Afflict. & Alexand. apud Gail. Pract. Observat. lib. 2. observ. 70. n. 5. & seqq. quorum vestigiis insistere placuit viris Clarissimis P. Roberto König lib. 1. Decret. tit. de Transact. n. 23. Josepho Bernardo Gletle in Quest. select. ex 1. part. Digest. q. 25. & Francisco Ignatio Woller in eadem in Quest. select. q. 7. ubi more suo non minùs solidè, quàm enucleatè, & ornatè differendo sententiam suam prægrandi argumentorum pondere quàm efficacissimè comprobant. Quibus proinde vel hanc ipsà de causà lubentes accedimus, atque ut præpositam facti speciem ordine supra indicato compendiosè resolyamus, sint

Rationes dubitandi.

3 Pro *Affirmativa* itaque ponderandi veniunt I. Textus in l. 3. §. 1. & l. 12. in fin. ff. de Transact. ubi habetur, quòd is, qui cum hærede super fideicommissio sibi relicto transegit, petere possit, quantò minùs ex transactione consecutus est, si postea ex repertis Codicillis comperiat, amplius fideicommissum

missum sibi relictum fuisse: quia de eo duntaxat cogitasse censetur, quòd illarum tabularum, quas tunc noverat, scripturà contereretur. d. l. 12. in fin. Ergò idem erit in nostra facti specie, ubi post interpositam transactionem ex repertis noviter instrumentis apparuit, fundum multò amplioris pretii fuisse: quia de eo duntaxat pretio, quòd tempore transactionis noveras, cogitasse censeris. II. Textus in l. in summa. 65. §. 1. ff. de Condict. indeb. ibi: *si autem evidens calumnia detegitur, & transactio imperfecta est, repetitio dabitur.* Ergò in nostro quoque casu repetitio, & transactionis rescissio dabitur: quia hbc ipso, quòd de immodica læsione postea evidenter constare incepit, & evidens calumnia intervenisse, & transactio imperfecta esse videtur. III. Textus in l. si superstit. 5. C. de Dol. mal. ubi dicitur, filix emancipata competere actionem in factum contra patrem suum, cum quo bonà fide transigens immodicè læsa est; Ergò etiam in nostro proposito tibi competet remedium rescissionis: quia in transactione immodicè, & ultra dimidium læsus es; præsertim cum Imperatores in d. l. 5. se unicè fundare videantur in immodicà læsione, ac præcisè propterea actionem in factum dari asserant. IV. Si in transactione interveniat dolus ex proposito, hæc sine hæsitatione rescindi potest. arg. l. 9. §. 2. ff. de Transact. l. 7. in princ. ff. de Dol. mal. & l. fin. C. Mandat. Ergò etiam si interveniat læsio immodica, seu dolus re ipsà; hunc namque dolo ex proposito æquiparari videas in l. 36. ff. de V. O. ibi: *Idem est, & si nullus dolus intercessit stipulantis, sed ipsa res in se dolum habet: cum enim quis petat ex ea stipulatione, hoc ipso dolo facit, quòd petit.* Tacendo, quòd aliàs satis constet, eum, qui cum alterius jactura locupletari intendit, in dolo esse. l. 17. §. 4. ff. de Inst. act. l. 1. §. 15. ff. Depos. V. Emptio venditio, aliique contractus ob

læsionem immòdicam jure rescinduntur. *l. 2. l. 8. C. de Rescind. vendit.* Ergò pariformiter jure rescindi poterit transactio, cum utrobique eadem pugnet ratio, quæ secundum immediatè dicta in eo consistit, quòd æquitas non patiatur, ut quis cum alterius jactura locupletetur. *c. 48. de R. J. in 6.* Unde sententiam hanc humaniorem, æquiorèmq; dicit Zoësius in *Comment. ad Digest. lib. 2. tit. de Transact. n. 47. in fin.* quamvis contrariam in puncto juris veriorem & ipse existimet. VI. Stando præcisè in jure naturæ verum omninò est, quòd transactio propter læsionem immòdicam rescindi possit; ergò similiter rescindi poterit de jure positivo humano, utpote quod hac in parte à jure naturali nulli invenitur clarè recessisse. Imò videtur, non potuisse recedere: nam, ut inquit Zoë. *loc. cit.* non debet cum gravi detrimento privati bonum publicum foveri. Cui adstipulatur P. Engl. *lib. 1. Decret. tit. 26. n. 14.* dum ait, hanc sententiam non minùs justitiæ commutativæ, quæ æqualitatem inter contrahentes desiderat, quàm æquitati naturali conformiorem esse. Et hoc non solum de jure Canonico, sed etiam de jure Civili. De jure Canonico quidem: quia in hoc ubique, & potissimùm quoad forum internum attendi solet æquitas. De jure Civili autem: quia in hoc quoque magis præcipua debet esse ratio justitiæ, & æquitatis, quàm stricti juris. *l. placuit. 8. C. de Judiciis.* Ex quibus demum omnibus necessariò videtur concludendum, quòd transactio super fundo Corneliano interpolitam rescindere, fundumque rectissimè vindicare valeas.

Rationes decidendi.

4 Attamen his, aliisque pluribus æquà lance trutinatis præponderare advertimus *Negativam* propter Textus luculentos, & rationes non minùs convincentes, quàm evidentes.

Ex

Ex quibus *in primis* statere apponenda venit *l. à Divo pio. 15. §. si pignora. 3. ff. de Re jud.* ubi Imp. referipserunt: quòd si creditor maluerit pignora in creditum possidere, iisque contentus esse, non possit, quòd amplius sibi debetur, petere: quia *velut pacto transegisse de credito videtur, quia contentus fuit pignora possidere.* Ex quo advertis Imp. manifestè supponere, quòd transactio ob læsionem rescindi non possit. *Secundum* locum occupat *l. in summa. 65. §. 1. ff. de Condit. indeb.* ibi: *& quidem quod transactionis nomine datur, licet res nulla media fuerit, non repetitur. Nam si lis fuerit, hoc ipsum: quòd à lite disceditur, causa videtur esse.* Unde duo haud difficile colligis. Primum est: quòd si quid ex causa transactionis fuerit datum, repeti non possit, etsi res nulla fuerit media, intellige, etsi læsio totam summam concernat: si hoc; ergò multò minùs repeti poterit, si læsio solum concernat summæ partem. Secundum est: quòd in transactione tantum inspicitur: an lis fuerit, & utrum à lite discedatur, adeò ut vel hoc ipso rei datæ repetitio denegetur: id enim solum, ut ait textus, *causa videtur esse.* Ergò prorsus nihil interest, sive immòdica, sive modica, sive omninò nulla læsio intervenerit. *Tertiò:* occurrit *l. sub pretextu. 19. C. de Transact.* ubi generaliter asseritur, transactionem sub pretexto instrumentorum noviter repertorum rescindi non posse: cum tamen facile esset casus, quo ex instrumentis de novo repertis læsio immòdica appareret. *Quartò:* obviam veniunt duæ insignes paritates, à re judicata, & à juramento deductæ, utpote in quibus propter læsionem immòdicam nulla conceditur rescissio *l. 1. Cod. Sentent. rescind. non poss. l. 2. l. 4. C. de Re jud. l. 5. §. 2. & l. 9. §. 1. ff. de Jurejur.* sed omisà quæstione: an debeatur? solum quæritur: an juratum, vel judicatum sit. Ergò neque rescindi poterit transactio:

M 3

hujus

hujus namque authoritas tanta est, quanta esse noscitur authoritas tum rei judicatae. *l. 20. C. de Transact.* tum jurisjurandi. *l. 1. l. 2. l. 31. in fin. ff. de Jurjur.* quia jusjurandum est species transactionis. *d. l. 2. & l. 8. ff. de Dol. mal.* Quinto. Transactio non solet interponi nisi super re dubia, & litigiosa per *l. 1. ff. de Transact. l. 22. ff. de In jus vocand. l. 2. ff. Si quis cautionib.* Ergo rescindi haud poterit; quia quoties res est dubia, & incerta, laesio minus recte allegatur. *arg. l. 11. C. de Transact. & l. 17. C. de Vfur.* Sexto: gravissimum pondus superaddit textus in *l. Lucius Titius. 78. §. ult. ff. Ad SC. Trebell.* ubi habetur casus, quo ex repertis post transactionem novis instrumentis apparuit, quadruplo amplius in hereditate fuisse, quam haeres fiduciarius, illis, quibus fideicommissum debebatur, restituit; nihilominus Ictus Scævola respondit, haeredem fiduciarium non posse in reliquum fideicommissi nomine conveniri, si transactum fuerit. Quid ergo impediēt, quod minus firma manere debeat transactio, si laesio non in quadruplum, sed saltem ultra dimidium intervenerit. Septimo tandem, gravis subnectitur ratio: quod transactiones propter bonum publicum inventae sint, ad lites non tam sopiendas, quam omnino extinguendas. *l. 10. C. de Transact.* adeo ut ne quidem rescripto Principis infirmari valeant. *l. 16. C. Eod.* Ergo neque praetextu immodicae laesionis, ne remedium minuendis, & extinguendis litibus adinventum, convertatur in earum augmentum, & resuscitationem. Unde in ordine ad supra positae facti speciem facillime colligit, tibi ad rescissionem transactionis, & vindicationem fundi Cornelianii omnem viam esse praclusam.

Atque haec sententia ita stabilita haecenus quidem nobis praeter altera arrisit, acridetque; quia verò voluntas hominis ambulatoria est usque ad extremum vitae spiritum, & non
sola

sola tempora, sed nos cum illis mutamur, ideo quasi incerti adhuc fluctuamus: an tempore actualis defensionis vel hanc ipsam, vel contrariam sententiam defensuri simus. Interim tamen ad Rationes dubitandi breviter respondere neutiquam dedignamur.

Confutatioq. contrariorum.

Igitur argumentum primum quod attinet, negari quidem non potest, quod transactio jure rescindatur, & repetitio detur, si nova ultima voluntas, Codicillus, vel aliud quid simile repetatur, ut bene probant jura ibidem allegata, & norant Jason. in *l. 19. n. 15. C. de Transact.* & Carpzov. *lib. 5. respons. 7. n. 16.* Attrament, quia hic subest specialis ratio, quod nimirum nondum visis tabulis transactio non valeat, ideo ab his ad alia instrumenta post transactionem noviter reperta idoneum non ducitur argumentum juxta Brunnem, in *l. 3. n. 3. ff. de Transact.* Textus secundo, & tertio loco adducti solum loquuntur de casibus, quibus intervenit dolus ex proposito, ut patet tum ex *d. l. 65. §. 1. ibi: sit autem evidens calumnia &c.* tum ex *d. l. 5.* quae inserta est Titulo: *de Dolo malo.* & loquitur de casu, quo alias daretur actio de dolo, atque adeo supponit, dolum intervenisse. Unde & illud falsum esse convincitur, quod Imperatores in sola immodica laesione se fundent. Ad quartum negatur Consequentia. Esto enim, quod dolus re ipsa aliquando compareretur dolo ex proposito, hoc tamen universaliter non procedit, sed tantum certo respectu, & quatenus Exceptionem doli adversam habet non is tantum, cujus dolus initio intervenit, sed etiam qui petit, quod exceptione quavis elidi potest, ut in terminis explicat Glerle in *Quest. select. ex 1. part. ff. q. 25. n. 4. in fin.* per textus in *l. 2. §. 3. & 5. ff. de Dol. mal. & met. except.* Ad quintum disparitas est: quod *l. 2. C. de Rescind.*

Rescind. vend. nominatim loquatur de venditione; adeo ut ab hac minus recta fiat argumentatio ad transactionem, quæ secundum dicta propter bonum publicum ad instar juramenti, & rei judicæ ad sopiendas lites adinventæ est. *Ultimum* inde vires suas deperdit: quia ex rationibus decidendi abutitè apparet, jus positivum humanum hoc in passu à jure naturali clarè recessisse. Undè, à primo ad ultimum, tunc quoque à petitione fundi Cornellani recedere haud graveris.

CONTROVERSIA XIII.

An, & quomodò septenarius Electorum numerus in Aurea Bulla præfinitus minui, vel etiam augeri possit?

SUMMARIA.

1. Electio Imperatoris quid? 2. Alia ordinaria, alia extraordinaria.
3. Imperium quomodò vacare solet? 4. Quibus competat jus eligendi? 5. & 6. Præmittuntur quedam certa. 7. 8. & 9. An Imperator alium de fendo Electorali investire teneatur, & alicuius Electoris linea masculina prorsus sit extincta? 10. An numerus Electorum minui, vel augeri possit solius Imperatoris, & Electorum auctoritate seu solo consensu reliquorum Ordinum? remissivè.

Hanc de Imperatoris Electione materiam ex jure publico vel idèò seligere placuit, ut propter aliqualem connexionem, quam habere noscitur cum Electione Canonica, de hac quoque nonnulla immiscendi occasionem præberemus. Et verò, ne videamur omninò immemores aliàs consuetæ nobis methodi, quam tanquam facillimam, & memoriæ accommodatissimam cum D. Braun rectissimè commendat Clariss.

D.

D. Franciscus Ignatius Woller in *Quæst. select. ex Jur. Can. Publ. Civ. & Feud. q. 7. n. 2.* Idèò tum ex hac, tum etiam varietatis causâ materiam hanc per causas tractabimus.

Definitur Electio Imperatoris, quod sit actus legitimus, quo administratio Romani Imperii juxta præscriptum Aureæ Bullæ per vota Electorum personarum idonearum deservitur.

Dividitur Electio, estque duplex: alia ordinaria, & alia extraordinaria. Hæc appellatur, quando quis vivente adhuc, & consentiente Imperatore in Romanum Regem assumitur, ut contigit anno 1690. in Electione Josephi I. Imperatoris Augusti. Illa dicitur, quæ sit tempore Imperii vacantis.

Vacare autem Imperium potest non tantum per mortem Imperatoris naturalem, quæ omnia solvit; sed aliis quoque modis per text. in *Aur. Bull. tit. 1. in princ. ibi: Wie oft / vnd wenn es zur künfftigen Zeiten noth weyn / oder sich begeben wird; & tit. Von den Churfürsten in gemein S. 2. ibi: Wenn / vnd wie oft fürthyn das Heilig Reich ledig ist.* Quæ verba tanquam indefinita ad unum tantum casum restringi non possunt, sed indefinitè, ac de pluribus casibus accipienda sunt, puta: si Imperator Magistratum Imperialem resignet, de quo tamen infra; vel si religionem ingrediatur, prout de Lothario Imperatore testatur Otto Fritling. *lib. 6. Chron. c. 1.* quod nempe monasterium Prumiense à se extractum anno 801. ingressus fuerit. Simile de Carolo V. tradit Tursell. *Epit. hist. lib. 10.* quod nimirum Imperio renuntians in Hispaniæ monasterium Hieronymitarum S. Julti recesserit.

Causa efficiens Electionis sunt ij, quibus jus, ac potestas eligendi Imperatorem competit. Competit autem vi Aureæ Bullæ *loc. cit. Septena viris*, videlicet septem Germanis Principibus, inter quos primum votum habet Archiepiscopus Tre-

N

virensis;

virensis, secundum Colonienſis, tertium Rex Bohemix, quartum Comes Palatinus, quintum Dux Saxonix, ſextum Marchio Brandenburgeniſis, ſeptimum denique Archiepiſcopus Moguntinus. Hodie verò hunc numerum auctum, atque Novemviratum eſſe, ſicut nemo ignorat, ita nullus dubitat, quin hoc ſaltem cum communi Statuum conſenſu fieri poſſet: cum is, qui legem tulit, eam denuò tollere vel mutare, eidem addere vel detrahere queat, eo ipſo, quòd lex non obliget ultrà voluntatem Legislatoris. Sed jam, ut debito ordine adſtruvamus noſtram Controverſiam

5 *Prænotamus I.* Hic non eſſe quæſtionem: an ſeptenarius Electorum numerus minui poſſit ex communi Imperatoris, Electorum, & Statuum conſenſu: hoc namque juxta immediate dicta extra dubium eſt: quia Imperator cum Electorum, Statuumque conſenſu formam in Aurea Bulla præſcriptam inſmutare, ac etiam ſtatueret poſſet, ut Imperium fieret ſucceſſivum, prout aliquando fuiſſe perhibent hiſtorix.

6 *Prænotamus II.* Neque hic quæri: an Imperator unâ cum Statibus poſſit aliquem ſine rationabili cauſa ex numero Electorum dimovere: enimverò hoc pariſormiter omni ambiguitate carere videtur: quia jus ſemel quæſitum ſine cauſa nemini eſt auſſerendum. §. 2. *¶. Dominorum. Inſt. de His, qui ſui, vel alien. jur.* Multò minùs hic quæritur: an Electores, aut Status ſeparatim ſeptenarium Electorum numerum minuire valeant?

Verùm illud controverſum eſſe reperimus: utrum Imperator, caſu quo alicujus Electoris linea maſculina penitùs deficiat, Feudum Electorale Imperio ita incorporare valeat, ut alium de novo inveſtire non cogatur? ubi

7 Sententiam *negativam* verioreſſe exiſtimat Hermannus Hermes in *Faſc. jur. publ. c. 12. n. 6*, Partim quòd in

AUREA

Aurea Bulla art. 25. 15. & paſſim Collegium Electorale jubetur eſſe integrum, cui diſpoſitioni, cum quoad caſum reinfudationis nullibi inveniat mutata, hæc quoque in parte ſtandum erit. *arg. l. præcipimus. 32. §. ſin. Cod. de Appellat.* Partim quòd *Aurea Bulla tit. 7. in ſin.* reinfudationem vacantis Electoratus per verbum *debet* Imperatori injungere videatur, dum ait: *Und ob derſelben Fürſtentumb eins/oder mehr in Reich ledig wird / ſo ſoll das maq ein Römiſcher König zc.* Verbum autem *debet* neceſſitatem importare, aliàs in comperto eſt. Partim quia ad ſuſtencandum tam grave onus Imperii vix ſeptem ſufficiunt, adeò ut pauciores minimè ſufficere videantur.

Nec obſtat *primò*: quòd numerus Cardinalium, licèt ſecundùm quorundam opinionem ultra 70. ſe non debeat extendere, quia tot fuerunt Chriſti Diſcipuli *c. penult. in ſin. diſt. 16.* quos Cardinales repræſentant: nihilominus ex arbitrio S. Pontificis ex toto dependeat: ut pariſormiter numerus Electorum à voluntate Imperatoris dependere videatur. *Reſpondetur* enim: hæc eſſe omninò diſparata, cum poteſtas S. Pontificis ſit planè abſoluta, poteſtas verò Imperatoris in pluribus per leges fundamentales limitata, adeò ut ab una poteſtate ad alteram minùs recta fiat illatio.

Neque obſtat *ſecundo*: quòd in variis Capitulationibus, ut patet in *Capitul. Carol. V. art. 25. Ferd. I. art. 24. Maximil. II. art. 12. Ferd. III. art. 32. & aliis pluribus* Imperatori concedatur facultas, quâ Feuda Imperii, Principatus, & Comitatus in caſu aperturæ Imperio incorporare valet, & neminem de novo inveſtire tenetur: ergo idem obtinebit quoad Electoratus, utpote quos appellatione *Principatus* venire apparet ex traditis ab Hermann. *Herm. loc. cit. c. 23. n. 2.* Nec obſtat, inquam, quia rectè negari poteſt *Conſequentia*, & ve-

N 2

rum

rum non est, quòd nomine *Principis* Electores intelligantur, cum à reliquis Imperii Principibus & speciali germanico nomine discernantur, & specialem classem, specialèque Collegium constituant.

10 Dicitur est suprà, non esse dubium, quin numerus Electorum minui, vel augeri possit ex communi Imperatoris, Electorum, & Statuum consensu. Utrum verò idem possint Imperator, & Electores absque consensu reliquorum Ordinum, ingens videtur Controversia, quam ex utraque parte non minus cautè, quàm diligenter ventilat Gletle *in Select. jur. publ. c. 6. membr. 4.* Nos hanc Controversiam omninò intactam lubentes relinquimus, quia altà quasi voce hæc eadem nos admonet dicens: nolite me tangere, quoniam sancta sum.

CONTROVERSIA XIV.

Possitne alius, quàm Germanus, in Regem Romanum, & futurum Imperatorem eligi?

SUMMARIÆ.

1. Qualis debeat esse persona in Imperatorem eligenda? 2. Declaratur status Controversiæ. 3. Quisnam hic dicendus sit Germanus? 4. & 5. Adstruuntur, & enervantur rationes dubitandi. 6. & seq. Stabilitur nostra sententia.

1 **O**bjectum Electionis constituit persona eligibilis: talis videlicet, quæ ad felicem Imperii gubernationem idonea est, per textum *in Aur. Bull. tit. Von der Wahl eines Römischen Königs. §. 2.* Ut autem talis sit, plura concurrant, oportet

oportet, ut puta: quòd debeat esse mas, non femina: mulieres namque ita subesse decet, ut præesse dedebeat. *arg. Genes. 3. v. 16. & 1. Corinth. c. 14. v. 34. c. 17. causâ 33. q. 5. l. 2. ff. de R. J. cum concord.* Deinde quòd eligendus debeat esse Laicus, non Clericus. *arg. c. 61. dist. 96. c. 1. & 1. 1. Ne Clerici vel Monachi. & constitutum habetur in Aur. Bull. d. tit. §. Und wenn die Churfürsten. ibi: Es haben dann zuvor der mehrer Theil ein weltlich Haupt erwöhlet.* Plures requisitas qualitates passim recensent Doctores, velut quòd eligi non debeat nimis senex, aut qui nullâ potentia fulget, aut plebejus est, sed potens, magnanimus, & virtutibus Imperatore dignis condecoratus. Nos, his missis, ad præpositæ Controversiæ decisionem huic loco convenientem descendimus, & in disquisitionem vocamus: utrum eligendus in Imperatorem necessario debeat esse Germanus, an verò Electoribus liberum sit, velintne Germanum, Gallum, Italum, Hispanum, vel quemdam alterius nationis ad Augustum Imperij culmen evehere?

Ubi illud tantùm obiter præmittimus. quòd, quamvis declaratio, quisnam hæc in parte dicendus sit Germanus, ad Collegium Electorale pertineat, usum tamen videatur obtinuisse, ut is pro Germano habeatur, qui vel inera, vel etiam extra Germaniam vivo tamen avo paterno Germano natus est. Quemadmodum Ferdinandus I. quamvis in Hispania natus, tamen pro Germano habitus est: quia natus fuit vivente adhuc Maximiliano I. suo avo. Carolus V. verò Hispaniæ Rex tanquam Germanus electus fuit: quia natus est Gandavi Flandriæ urbe, quam, utpote ad circulum Burgundicum spectantem, Imperio subesse constat ex *R. J. de ann. 1548. §. Nach dem auch von Wnsfern.* Imò natus fuit ex parentibus Germanis, puta, Philippo Patre, & Margaritha Matre Austriacis, ut re-

ut refert Hermann. *Hermes in Fasc. Jur. publ. c. 7. n. 13.* Quo prenotato

4 Videtur sanè, esse in libera Electorù voluntate: indigenà, an alienigenà, præsertim ex natione Gallica, eligere velint? Gallos namq; quoad votum passivum aliquando cum Germanis concurrentiam habuisse apparet, dum de Electore Trevirensi narratur, quòd in electione Caroli V. votum suum dederit Francisco I. Galliarum Regi. Et certè, si ex præscripto *Aurea Bullæ tit. 2. §. 2.* ad regimen Imperii eligendus est idoneus, certo certius Gallus vel maximè eligi poterit, quò moribus, actionibus, formis, modisque omnibus exquisitissimis, ac etiam (experientiâ teste) Germanicæ nationi placidissimis, ritè stipatus, eisdem sine ulla difficultate in nostras partes tam copiosè invehet, ut Germani imposterum opus non habeant, cum tanta corporis defatigatione, tantòque marsupiorum dispendio in Galliam excurrere, superfluas divitiarum sarcinas pro publicis, aut etiam privatis necessitatibus in patria relinquentes. Præterea si non nisi Germanus eligendus foret, hoc proveniret vel ex natura rei, vel ex moribus, & consuetudine, vel denique ex lege scripta; atqui nihil horum dici potest. Non primum: quia natura electionis magis desiderat esse omninò libera, quàm aliquatenus restricta: aliàs quoque notū est, quòd omnibus imperans ex omnibus eligendus sit. Non secundum: quia consuetudo propterea legitimè introducta censeri non potest, quòd in pluribus, velut in Alphonso, in Eduardo, in Richardo Angliis interrupta fuerit. Non tertium: quia de lege scripta ne quidem jota reperendum, quò electio exteri prohiberetur, sed magis hoc ipso concessa videtur, quòd Aurea Bulla *tit. 2. §. 2.* tantum præcipiat, ut eligatur idoneus, qualis secundum dicta non tantum Germanus, verum etiam exterus, maximè Gallus, esse potest. Ergo. Sed

5 Sed profectò, quati Germanus non esset, sic mihi videtur omnis ille, qui ita, & tam strenuè quiddè, quàm speciosè, sed parùm ingeniosè pro exteris, præsertim pro Gallis, peroratur, ac vel ideo Germanam fidem haud meretur: maximè cum præfactorum argumentorum species tantæ sit levitatis, ut etiam non expectatâ Contrariorum machinâ ad unius generalis negationis sibilum tota quanta evanescat. Sicut enim nullâ ratione probari potest, quòd Galli cum Germanis quandoque habuerint concurrentiam: ita quoque minimè creditur, Gallum pro regendo Imperio, & gubernanda natione Germanica magis idoneum esse, quàm Germanum: quia nunquam prudentius consultitur, nunquam fortius pugnatur, quàm ubi de servanda, augenda, & vindicanda patria cogitatur. Tacendo, quòd præ reliquis non tantum fuerit, sed & adhuc sit, sempèrque manebit illustre Germanorum Principum decus, nomen, fama, gloria, & virtus immortalis; adeò ut Germanus extero cuicumque meritò præferatur, & opus non habeat, ab alienigenis peregrinos mores emendicare, utpote qui Germanis non tam prodesse, quàm ut plurimum obesse noscuntur. Unde illud quoque manifestatur, quòd tam frequentes Germanorum in Galliam excursions non tam necessitatis effectus sint, quàm curiositatis, cujus sicut aliàs curiosos sæpe sæpius pœnitet, ita nullum planè subest dubium, quin multos ex Gallia reduces pœnituerit, sibi ipsi occinentes:

Mansisses melius Cæciliane domi.

Porro esto, quòd natura electionis absolutè non exigat, ut præcisè Germanus eligatur: attamen juxta immediatè dicta id omnino conveniens, & patriæ salutis maximè congruum est; sicut omnino congruum est, ut eligendus in Prælatum assumatur de gremio vacantis Ecclesiæ, *c. ne pro defectu.*

41. *de Elect.* quamvis ad hoc necessitas absolutè non adstringat, prout notat Zoëf. *lib. 1. Decret. tit. 6. n. 43.* Quod verò allatum fuit, quasi restrictio ad solos Germanos præjudicaret electionis libertati, & quòd omnibus imperans ex omnibus sit eligendus, ulteriore responsione haud dignamur; sicut nec illi multum inhaerere placet, quòd consuetudo fuerit interrupta: quia hoc aut verum non est, aut exteri legitimi Cæsares non fuerunt, aut ad gubernacula Imperij nunquam sederunt, aut factum fuit turbulento Reipublicæ statu. Demum, quòd non extet lex scripta, id celerius negatur, quàm asseritur, & rectæ negationis statim post patebit probatio.

Igitur everfis jam Adversariorum fundamentis nostra, eaque firmissima sententia suâ sponte se prodit, quòd nimirum in Regem Romanum non possit eligi nisi Germanus, & exteri tamdiu expectare debeant, donec habilis Germanus non inveniatur. Id quòd probamus I. auctoritate Panormitani, qui in *e. venerabilem. 34. n. 1. de Elect.* dicit, quòd Imperium activè, & passivè in Germanos translatum fuerit. Activè quidem: quia Jus, ac potestas eligendi Imperatorem data est septem Principibus Alemaniz. Passivè verò: quia Imperium translatum est in personam Caroli, velut id ipsum clarè patet ex textu *cit. c. 34. ibi: præsertim cum ad eos jus, & potestas hujusmodi ab Apostolica sede pervenerit, qua Romanum Imperium in personam Magnifici Caroli à Grecis transtulit in Germanos.* II. per textum in *Aur. Bull. tit. 2. §. 2.* juxta quam eligi debet idoneus; ergo non nisi Germanus, qui, quoniam præcipua Imperij pars est Germania, patriæ opitulabitur vel maximè, præsertim quòd de hujus moribus, indole, naturâ, consuetudine, legibus, agendisque rebus optimam habeat notitiam, & consequenter sine difficultate ipsidem per omnia se conformare possit. III. Suffragatur *lib. Deuter c. 17.*

v. 15. ubi præceptum erat, ne alterius gentis homo in Regem assumeretur. De jure quoque Canonico in Abbatem eligi non debet, nisi qui ejusdem ordinis, & habitus est. *Clem. 1. de Elect.* IV. Accedit immemoralis consuetudo, quæ optimâ ratione introducta vim legis jure merito obtinet. *L. 32. §. 1. l. 33. ff. de LL.* Et quæso? quid movere deberet Germanos, ut exterum ad clavum Imperij promoverent; cum alijs quoque nationibus aut certa lex est, aut moribus receptum, ut viâ exteris præclusâ non nisi indigenæ majoribus officijs præficiantur, quia ob amorem patriæ majori fidelitate, curâ, & industriâ administrationi invigilare & posse, & velle creduntur: prout de Gallis, Venetis, Hispans, Anglis, Helveticis, Genuensibus, Hollandis, & Svecis passim referunt Auctores, inter quos Limn. *de Jur. publ. lib. 2. c. 2. n. 82. & seqq.* Schüg *Colleg. publ. lib. 1. tit. 2. pos. 5.* Reinching. *de R. S. & E. lib. 1. class. 3. c. 4.* Carpzov. *in var. septem. dog. 8. pos. 29.* & alij. V. denique omninò probabile est, extare quoque legem aliquam scriptam, quæ exteros ab Imperij gubernaculis penitus arcet, & à quibusdam Ottoni III. ab alijs verò Ottoni I. tanquam heredi magnanimo tribuitur, ut qui Gallis subesse Imperium, plane indignum reputavit.

Probatur autem præfata legis existentia partim ex clausula Statuum litteris apposita, quæ juxta Sleidan. *lib. 8. Comm. p. m. 223.* est: *nullus creetur Romanorum Rex, quin sit ex aliqua Germania Principum familia progenitus.* Partim ex producto zu Schweinsfurth *de ann. 1632.* quòd juxta Goldast. *In Pölitischen Reichs-Händlung p. 2. p. m. 144.* à Statibus Carolo V. traditum est, & sic habet: *Trem daß auch keiner zu der Hochheit eines Römischen Königs zu künfftigen Kaylers erwöhlet soll werden / er seye dann ohne mitl von einem Fürsten Teütscher Nation geböhren.* Partim ex oratione,

tione, quam Moguntinus in electione Caroli V. habuit, ibique contra Trevirensis exposuit, cur potius hic, quam Franciscus I. Rex Galliarum eligi deberet, dicens: *legibus nostris, & jure nos arbitror impediri, quibus cautum est, ne decus hoc Imperij ad exteros transferatur.* Ergo extet lex, oportet: quia alias Elector Moguntinus se retulisset ad non ens; neque Trevirensis, alias Galli acerrimus propugnator, neque reliqui impunè reliquissent verbum *Legis*, nisi scivissent, hanc in interiori tabulario asservari; præsertim quòd provocatio ad illam legem facta fuerit in re tam ardua, ac publicè in toto confesso, nullique alteri hac in parte magis credendum sit, quàm Moguntino, utpote qui Archi-Cancellarius Imperij esse noscitur. *R. U. zu Augspurg* de anno 1555. §. so sich dann. 64. ac ideo Consilium cum Cancellaria Aulæ jure eisdem obstringitur; servat Archivum, quo Imperij matricula, documenta, & acta publica continentur; Camera Imperialis Protonotarios, Notarios, Lectores, und andere Cancellary-Personen suo arbitrio eligit, acta Cameralia statuto tempore cum uno, alteròve sibi adjuncto Consiliario revidet; habet Imper. decretorum signaturam per Germaniam, aliàque plura, quæ refert Hermann. Hermes *in Fasc. Jur. publ. c. 15. num. 4.* adèd ut negare legem, & per consequens Virum omni exceptione majorem alicujus erroris insimulare, prægrande utique nefas videatur. Scimus equidem, quosdam esse, qui Moguntino ad præfatam legem provocanti ideo fidem non adhibent, quia in alijs quoque errasse fertur: ut quòd Collegium Electorale ab Ottone III. institutum esse dixerit. Sed quid tum? sicut enim hoc facilè admittimus, casu quo de errore legitime constiterit: ita quoque illud, quia de errore nullibi constat, jure negamus, & meliora præsumimus.

CON-

CONTROVERSIA XV.

An in electione Imperatoris non attentâ sanioritate sufficiat sola votorum majoritas?

SUMMARIUM.

1. Recensentur quadam Electionis requisita.
2. Quanam dicatur major pars?
3. Quamvis sanioritas attendatur in electione Canonica.
4. Secus tamen est in electione Imperatoris.

Forma Electionis spectari potest in modo, quo fieri solet, & in requisitis, præcipuè *in Aur. Bull. tit. 1. 2. 4. & passim*, præfinitis; ut puta: quòd Archi-Episcopus Moguntinus alios Electores ad electionem convocandi, & ab ijs vota exquirendi jus, & potestatem habeat; quòd Electores debeant jurare de eligendo idoneo, daß sie bey den Treuen / damit sie Gott / und dem H. Römisch. Reich verbunden seynd / nach aller ihrer verständigen erkantnuß / und vernunfft mit Gottes Hilff erwöhlen wollen ein weltlich Haupt dem Christlichen Volck / daß ist / ein Röm. König zu einem Kayser zu erhöben / der darzu tauglich sey. 2c. Item quòd electio intra 30. dies à die præstiti juramenti perficienda sit, quò minus, Electores solo pane, & aquâ contenti esse jubentur *in d. tit. 2. §. wo sie aber.* Ad similitudinem Electionis S. Pontificis, de qua *in c. ubi periculum. 3. de Elect. in 6.* constitutum habetur, ut Cardinales, nisi intra tres dies, postquam conclave intraverint, Ecclesiæ de pastore fuerit provisum, *per spatium quinque dierum immediatè sequentium singulis diebus tam in prandio, quàm in cena uno solo ferculo sint contenti.* Quibus

O 2

(pro-

(provisione non facta) decursis, ex tunc tantummodo panis, vinum, & aqua ministrantur eisdem, donec eadem provisio subsequatur.

2 Præterea, omissis multis alijs ad valorem electionis requiritur, ut fiat à majore parte eligentium juxta præscriptum *Aurea Bulla tit. 2. §. Und wenn die Churfürsten*. Ubi verius esse credimus, quod major pars non censeatur illa, quæ talis est, habito respectu concurrentium, sive comparatione partis minoris, & coelectorum, sed quæ talis est respectu totius Collegij Electoralis, & omnium eligentium; adeo ut, si novem fuerint Electores, quinque in unum, eundemque consentiant, necesse sit; si verò duo v.g. eligant Titium, tres Cajum, & quatuor Sempronium; electio vitibus destituatur, quamvis Sempronius respectu Titij, & Caij majora vota obtineat. *arg. c. 48. c. 50. c. 55. X. de Elect. & c. 23. Eod. in 6.* ubi idem statutum est de electione Canonica, & satis constat ex *Aurea Bulla*, quæ vult, ut quis eligatur à majore parte Electorum, *tit. 2. §. Und wenn die Churfürsten*. ibi: es haben dann zuvor der mehrer theil ein weltlich Haupt erwählt. Atque hæc plani juris esse, non multum dubitamus.

3 Verùm: an præter majoritatem etiam attendi debeat votorum sanioritas, in Controversiam vocari posse advertimus, propterea: quod inter jus Canonicum, & Civile absq; expressâ discordantiâ nulla sit admittenda differentia per jura vulgata. Adeoque, cum de jure Canonico, à quo jus Civile hac in parte non reperitur discordare, præter majoritatem insuper attendi debeat votorum sanioritas per textus rotundos *inc. 42. & d. c. 55. de Elect. c. 1. & ult. de His, quæ fiunt à major. part. Capit.* eadem quoque attendenda erit de jure Civili.

4 Sed parùm stringit hic discursus: quia diversitas unius juris ab altero, eo ipso luculenter apparet, quod in *Aurea Bulla*

Bulla loc. cit. nullâ factâ mentione sanioritatis, sola requiratur votorum majoritas. Sicut etiam de Jure Digestorum, & Codicis ad actus collegiales non attentâ votorum sanioritate, sola desideratur majoritas, sive majoris partis suffragia. *l. 3. l. 4. ff. Quod cuiusque univers. nom. l. 19. ff. Ad municip. l. 4. ff. de Decret. ab Ordin. fac. l. 160. §. 1. ff. de R. J. l. 2. §. 5. in fin. Cod. de Jurejur. prop. cal. dand. l. 45. C. de Decurionib.*

CONTROVERSIA XVI.

Utrum Imperator Magistratum Imperialem semel susceptum resignare possit?

SUMMARIA.

1. Finit Electiois quæ? 2. Eiusdem effectus. 3. Adstruitur Controversia, & probatur sententia affirmativa. 4. 5. & 6. Solvuntur objectiones. 7. Subnectitur nostra Assertionis declaratio.

Finis Electionis est, ut Imperio, omni meliori modo, provideatur de idoneo Administratore, qui res Imperij benè, rectèque gerat, & augeat, feliciter regnet, semperque triumphet. I

Effectus Electionis legitimè factæ præcipuus est, quod Electus consequatur jus administrandi Imperij, imperandiq; potestatem, ac supremam in Imperio dignitatem, & Jurisdictionem, prout ex *Aur. Bull. ex Arumn. & Forster*, tradit *Hermann. Herm. in Fasc. Jur. publ. c. 10. n. 1.* dum ait: quod post electionem mediante commissione per Electores fiendâ ipso jure plenum administrandi jus, & dignitatem imperialem consequatur Electus. Cui adstipulatur *Panormit. inc. venerabilem. 34. n. 26. de Elect.* dicens, quod olim quidem fuerint variz opinio- 2

no-

niones: num Electus illicò ante coronationem, aut approbationem administrandi facultatem obtineat? hodie verò consuetudine receptum sit, ut statim administret. Quamvis de reliquo *ibid. n. 6.* asserat, Electum per electionem solum dici Regem Roman. & tandem in coronatione Imperatorem appellari. Quemadmodum Episcopus, & Archi-Episcopus non per solam electionem, aut etiam confirmationem, sed demum per consecrationem, & traditionem Pallij nomen Episcopi, & Archi-Episcopi consequuntur. *c. nisi. 3. de Auct. & usu pall.* Quænam autem Imperator in specie cum-vel sine consensu Statuum possit, passim tradunt Publicistæ, & nominatim Jacob. Bernad. Murtz. *Repræsent. Majest. Imper. per tot.* viderique poterit Aurea Bulla, & tenor Capitulationis, quâ noviter Electus, ante coronationis solennia, certas conditiones sibi propositas acceptat, acceptatas jurejurando firmat, & ad sic firmatarum observationem omninò adstringitur.

Ubi non multùm contra ordinem nos peccaturos existimamus, si illam hîc adstruamus Controverſiam: an Imperator post acceptatam electionem, vel etiam factâ coronatione, administrationi Imperij, Imperialique dignitati ita adstringatur, ut susceptum semel Magistratum resignare nequeat? Id quod affirmamus eo saltem casu, quo rationalis causa accedit, & probamus *primò*: à pari hoc modo: S. Pontifex potest resignare papatum semel susceptum per textum expressum *in c. 1. de Renunt. in 6.* & ibidem notat Gloss. *V. videbantur.* quòd Marcellinus, & Clemens SS. Pontifices papatum renuntiaverint. Ergo similiter, imò multò magis, Magistratui Imperiali renuntiare poterit Imperator: siquidem propter matrimonium spirituale multò fortius est vinculum Papæ, quàm Imperatoris. Ad hæc: si Tutor susceptam tutelam deponere. *l. 40. ff. de Excusat. Tut. & is, qui manda-*

tuta

tum suscepit, eidem renuntiare potest. *§. 11. Inst. de Mandato.* cur renuntiatio non etiam concessa censeret Imperatori, qui aliàs tanquam persona publica, & omni favore digna, deterioris esset conditionis, quàm privatus. Accedit, quòd resignatio Imperatori nullibi inveniamur prohibita, adeò ut vel hoc ipso concessa videatur. *arg. c. 1. in princ. de Procurat. in 6. & l. 43. §. 1. ff. Eod.* Præsertim quia promotio ad fasces Imperij sapit naturam beneficii, quòd sicut invito non obtruditur. *l. invito. 66. ff. de R. J.* ita cuique liberum est, eidem renuntiare. *c. 16. c. 23. de Regularib. l. penult. Cod. de Pact.* Nec desunt exempla, quibus constat Imperatores se Imperio abdicasse, ut videre est apud Lymn. *lib. 2. de J. P. c. 11.* & Goldast. *in Polit. p. 7. c. 1.* sed contra

Obijcies I. S. Pontifex non potest papatum resignare: tum quia non potest propria auctoritate eundem sibi conferre: tum quia non habet Superiorem, in cujus manus resignet, quòd omninò necessarium videtur. *arg. c. 4. & ult. de Renunt.* Ergo neque resignare poterit Imperator. *Resp. negando Antecedens* per *cit. c. 1. Eod. in 6.* Nec refert, quòd Papa Pontificiam dignitatem sibi conferre nequeat: quia collatio, & resignatio sunt planè diversa; aliàs neque inferior Beneficiatus renuntiare posset: cum nec iste beneficium sibi conferre, se ipsum instituere, aut præsentare valeat. *c. fin. de Institut. & c. 26. de Jur. patron.* Quòd verò dictum est, renuntiationem fieri debere in manus Superioris, id solum procedit in renuntiatione inferioris, non verò S. Pontificis, qui in terris superiorem non agnoscit. *arg. c. nunc autem. 7. dist. 21. P. Engl. in Colleg. Jur. Can. lib. 1. tit. 9. n. 4.*

Obijcies II. Nemo potest se abdicare publico officio. *l. 20. ff. de Offic. Præsid.* ubi Legatus Cæsaris, id est, Præses vel Corrector provincie abdicando se non amittit imperium; &

l. ult.

Lult. Cod. de Defensor. civitat. ubi nullus defensor civitatis potest se liberare à publica sollicitudine. Ergo neque Imperator officio suo, utpote vel maximè publico, se abdicare poterit. *Responds.* Sensus Antecedentis, & prædictarum legum esse: quòd nemo possit se abdicare publico officio, si abdicare se volens superiorem recognoscat, & absque hujus permisso, aut non servatis de jure servandis se abdicare velit; non verò si abdicare se volens sit supremus Princeps, qui, sicut aliis, ita quoque sibi ipsi licentiam se abdicandi rectè concedit, ne secundùm dicta deterioris conditionis videatur.

Obijcies III. Exemplum Henrici II. qui, dum religionem profiteri intenderet, à Statibus revocatus, & ab Abbate Verdunensi in virtute obedientie justus, ad Imperium rediisse fertur. *Respond.* Hoc vel contigisse ex necessitate, vel defecto tantùm, non verò de jure, vel ita volente, & consentiente Henrico. Deinde vel Henricus rediit ad Imperium ante professionem, vel eà jam emissã? si prius: Abbas ex vera obedientia reditum eidem præcipere non potuit. si posterius: absolutio à vinculo obedientie eidem Abbati impossibile fuit. *arg. c. cum ad monasterium. 6. in fin. de Stat. Monach.*

Diximus autem supra n. 3. Imperatorem resignare posse eo saltem casu, quo rationabilis causa accedit: enim verò, ut inquit Hermann. *Hermes in Fasc. Jur. publ. c. 6. n. 8.* minimè contemnenda videtur distinctio: utrum videlicet regnum sit hæreditarium, seu patrimoniale, an verò electivum, ut Imperium Romanum? adeò ut illud resignari possit libero Regis arbitrio; in hujus autem resignatione insuper consideranda sit aliqua causa movens: quia suadente utilitate, & exigente salute publicã etiam invito rectè injungitur, ut in suscepta semel administratione perseveret; sicut eum, qui administrationem Imperij suscipere recusat, eadem de causã ad

ejus

ejus susceptionem compelli posse, suadent textus in l. 9. & l. 14. §. ult. ff. de Munerib. & honor. l. 13. §. 2. ff. de Vacat. & excusat. munerum.

CONTROVERSIA XVII.

Possitne quivis rerum suarum dominus, etiamsi plebejus, aut rusticus sit, rem suam in feudum concedere?

SUMMARIUM.

1. *Varia de Feudorum origine opiniones.* 2. *Feudum unde dicatur? ejus homonymia, & definitio.* 3. *Quis dicatur Dominus, & quis Vasallus?* 4. *Feudum dare qui possint?* 5. & seqq. *Resolvitur Controversia.*

IN ordine ad meliùs intelligendas subsequentes, ac circa materiam feudalem versantes Controversias, præmittimus primò: quòd de origine feudorum varij variè sentiant. Alii enim ex antiquo Romanorum jure ea descendisse arbitrantur. Nonnulli contendunt, feuda à Gallis ad Germanos, Italos, Hispanos, aliòsque Europæ populos profecta esse. Quidam à tempore Justiniani cœpisse dicunt. Alij credunt, quòd ortum suum traxerint à militiis, de quibus in jure Romano fit mentio; atque adeò feudum nihil aliud esse volunt, quàm militiam. Plures denique in eam eunt sententiam, quæ originem, ac principium feudorum moribus, & consuetudinibus Longobardorum tribuit; hancque suam opinionem ex eo veriorem existimant, quòd libri feudorum sæpiùs de Longobardis, eorùmque legibus mentionem faciant, ut videre est 1. *Feud. tit. 10. in fin. & 2. Feud. tit. 1.*

P

Præ-

2 Præmittimus *secundo*: Feudum, sic appellatum à *fide*, seu *fidelitate*, quandoque accipi pro re ipsa, quæ in feudum conceditur juxta textus 1. *Feud. tit. 4.* & 2. *Feud. tit. 3.* quo sensu vulgò vocari solet *Lehen-Gut* / sive *Lehen* à verbo *leihen* derivatum. Quandoque verò pro contractu feudali, quo nimirum jus feudi interveniente conventionem constituitur. 2. *Feud. tit. 3. §. 1.* & 2. *Feud. tit. 23.* vocaturque germanicè *Lehens-Contract*, sive *Lehens-Beding.* Sæpius autem pro jure Feudali, sive *ein Lehens-Gerechtigkeith.* In qua significatione commodè definiti potest, quòd sit jus in re immobili, vel æquipollenti sub obligatione fidei, & obsequii alicui in perpetuum, & benevolè concessum, ut patet ex *d. lib. 2. Feud. tit. 23.*

3 Præmittimus *tertio*: in constitutione Feudi principaliter, & potissimùm concurrere debere personas dantis, & accipientis. Is, qui rem in feudum concedit, indigitari solet Dominus, germanicè *der Lehens-Herr.* Is verò, qui feudum accipit, Vasallus, vulgò *der Lehen-Mann* / sive *Lehen-Träger* vocitatur. Quo prænotato

4 Circa *Dominum*, seu *dantem* cape regulam: quòd feudum dare possit omnis, qui liberam, & legitimam rerum administrationem habet, nec quâlibet ratione aliquid de rebus suis alienare impeditur. 2. *Feud. tit. 3.* sive deinde Clericus sit: velut S. Pontifex, Archi-Episcopus, Episcopus, Abbas, aut alius Clericus inferior per *c. ult. de Feud.* & 1. *Feud. tit. 1. & tit. 3. in princ.* juncto *lib. 2. Feud. tit. 35.* sive Laicus: puta, Princeps, Marchio, Comes, Baro, Civitates Imperiales &c. Quòd spectat nostra superius proposita Controversia: an nimirum etiam *Plebeij*, & *Rustici* de bonis suis aliquem infeudare, sibi que Vasallos acquirere possint?

5 *Negat*, & hanc suam sententiam juri magis consentaneam

am asserit Andr. Fachin. *Contröv. jur. lib. 7. c. 74.* eâ motus ratione: quòd in jure feudorum; videlicet 1. *Feud. tit. 1. in princ.* & 2. *Feud. tit. 10.* personæ omnes, quæ feudum dare possunt, quàm accuratissimè recenseantur: de plebeijs verò, & rusticis alium fiat silentium; aded ut soli Principes, Duces, Marchiones, Comites, & Capitanei ibidem expressi, feuda rectè dare posse, censei debeant: non verò alij, qui ab his feuda recipiunt, utpote de quibus solùm asseritur, quòd minores valvasores dicantur, absque eo, quòd feudi dandi potestas eisdem concedatur. Deinde sic argui potest: tunc plebeij, & rustici nequeunt feudum dare, quando beneficium, quòd minores valvasores in alios transferunt, non est feudum; atqui ita est; ergo plebeij, & rustici, tanquam minores valvasores, nequeunt feudum dare. *Min. prob.* quòd non censeatur jure feudi, non est feudum. Atqui beneficium, à minoribus valvasoribus in alios translatum, non censeatur jure feudi per textum 1. *Feud. tit. 1. §. ult.* ibi: *Illud verò, quòd à minoribus in alios transfertur, non jure feudi judicatur.* Ergo non est feudum. Facit insuper ratio: quòd feuda eâ potissimùm de causâ concedantur, & infeudationes fiant, ut vasalli Dominis suis præstent servitia militaria, prout passim colligitur ex libris Feudorum. Igitur cum rustici, quibus belli gerendi potestas minimè competit, similibus obsequiis non indigeant, feuda concedere posse non videntur.

Sed vereor, ne verioribus principijs innitatur sententia affirmativa. Partim propter generalem supra allatam, & 2: *Feud. tit. 3.* benè fundatam regulam, quæ dum dicit, quòd *novi investitura Feudi non ab alio rectè fiat, nisi ab eo, qui legitime suorum bonorum administrationem habet;* hoc ipso manifestè ostendit, etiam rusticis feuda dare concessum esse: quia non minus isti, quàm Comites, & Barones rerum suarum

veri domini esse, & legitimam earum administrationem habere noscuntur. Partim quia de vasallis minimis certum est, quòd feuda dare valeant. 1. *Feud. tit. 7.* ibi: *si verò facta fuerit à minoribus, vel minimis valvasoribus.* Adcò ut vel hoc ipso luculenter appareat, etiam plebeios res suas in feudum dare posse, eùm aperti juris sit, quòd vasalli minimi dicantur plebeij. 2. *Feud. tit. 10. §. ceteri.* Partim quia *in cit. text. 1. Feud. tit. 7.* particula *vel satis* indicat, alios esse vasallos minores, alios verò minimos; atque adcò cum appellatione vasallorum minorum intelligi videantur nobiles, qui nimirum feudum accipiunt à Capitaneis: hinc nomine vasallorum minimorum non nisi ignobiles, & plebeij venire possunt. Unde quamvis ipsemet Fachin. *loc. cit.* dicat, quòd rusticis, & omnibus alijs privatis hominibus indifferenter idem jus competere non inveniatur, tamen in nostram sententiam transire cogitur: quia & ipse concedit, tunc etiam rusticos feudum dare posse, si quis proponat, minimos valvasores rusticos esse.

7 Cui sententiæ minimè officiant rationes oppositæ. Nam ad primum quod attinet, fatemur equidem *in d. tit. 1. in princ. Feud. 1. & 2. Feud. tit. 10.* nullam de rusticis expressam fieri mentionem, quòd feudum dare valeant: attamen quia rustici ibidem neque expressè excluduntur, potius standum erit generali regulæ asserenti, quòd feudum dare possit omnis, qui liberam, & legitimam rerum suarum administrationem habet, & per consequens etiam plebejus, aut rusticus. Ad secundum negatur *Min.* Quod autem pro hujus probatione dicitur: beneficium, à minoribus valvasoribus in alios translatum, non centeri jure feudi; eo sensu accipi non debet, quasi nullo modo esset feudum, sed carenus saltem, quatenus propriè jure feudi non censetur, id est, quatenus à jure

jure feudi recedit in eo, quòd non sit perpetuum, sed ad placitum concedentis rectè auferri possit, ut manifestè patet ex ipso textu 1. *Feud. tit. 1. §. ult.* Ad tertium sine ratione esse dicimus illum, qui rationem ibidem allatam tanquam efficacem allegat: cum extra dubium esse noscatur, quòd feuda non tantum sub obligatione servitiorum militarium, sed etiam aliorum, modò honesta sint, concedi valeant, per ea, quæ tradit P. Engl. *lib. 3. Decret. tit. 20. §. 1. n. 5.* Aliàs certe sequeretur, etiam Nobiles, aut Illustres eadem ratione feuda dare non posse, quâ ratione omnis indicendi, ac gerendi belli potestas iisdem denegatur.

CONTROVERSIA XVIII.

Utrum à Feudi acquisitione excludantur Clerici, & Religiosi?

SUMMARIUM.

1. Feudum accipere quinam possint? 2. Solidatur sententia negativa.
3. Adducuntur textus, & rationes, quæ speciem contrarietatis præferunt. 4. & 5. Dissipatur species contrarietatis.

Circa Vasallum, seu accipientem, qui alio nomine nonnunquam fidelis, valvasor, valvasinus appellatur, ut videre est *tit. 1. §. 1. & 2. juncto tit. 7. Feud. 1. & 2. Feud. tit. 10.* ibique Gothofred. *lit. D.* hanc tibi ad notam accipe regulam: quòd feudum accipere possint omnes, quibus non est interdictum rerum commercium, & specialiter non prohibentur. per textum 2. *Feud. tit. 3.*

Verum, an inter prohibitos numerentur Clerici, & Religiosi? difficilis planè resolutionis Articulus, nobis non tam deci-

decidendus, quam intactus relinquendus videtur. Enim verò si resolverimus *affirmative*, hoc ipso in religionem, & ordinem Clericalem fortiter impingemus. Si e contra *negative* concluderimus, idèdò forsàn modicam merebimur fidem: quia contra notas juris dispositiones videbimur testes, atque iudices in propria causa. Nihilominus si jura pro nobis, quibus contra nos? si nullis affectionibus, sed nudis rationibus pugnaverimus, vicerimus, *Affirmativam* profligaverimus, & *Negative* triumphum cantaverimus: nemo sanè triumphum nobis faciliùs eripere, quàm vocis triumphantis volitantem per aëra sonum revocare valebit.

² Instemus itaque, & primos in acie præmittamus sacri Ordinis Equites Hierosolymitanos, Rhodienses, Melitenses, die Johanner / Malteser / Ritter / qui tamen Regulares sint, per tradita à Laymann, *Theol. Mor. lib. 4. tract. 5. c. 1. n. 5.* feuda tamen rectè accipiunt, & in iis succedere possunt, juxta Alvarot. Bald. Præpos. Afflict. Jacobin. Barbat. Curt. jun. Nevizan. & Nattam, relatos ab Andr. Fachin. *Controv. jur. lib. 7. c. 36. in princ.* adèdò ut à pari idem de Clericis, & alijs Religiosis asserendum videatur. Deinde ex SS. Canonibus in mediura adducamus *c. ex transmissa 6. & c. verum. 7. de For. compet.* in quibus hoc ipso, quòd Clerici in causis feudatibus coram Dominis secularibus conveniri posse dicantur, aperte supponitur, Clericos feudorum capaces esse, ac talia à secularibus jure accipere. SS. Canonibus in succursum venit Jus Feudale, quo *2. Feud. tit. 40. in fin.* expressis terminis constitutum est: ut si Clericus, velati Episcopus, Abbas, beneficium habens à Rege, datum non solummodo persone, sed Ecclesie, ipsa propter suam culpam perdat, eo vivente, & Ecclesiasticum beneficium, vel honorem habente, ad Regem pertineat: post mortem verò ejus ad successorem ejus revertatur. De-

Demum pro evincendâ palmâ fortiter ceitat consuetudo, quâ constat etiam Clericos feuda possidere; & passim testantur Doctores, inter quos Fachin. *Controv. jur. lib. 7. c. 35. in fin.* ubi ait: quòd in Germania passim videamus Abbates, Episcopos, & alios Ecclesiasticos feuda possidere, annexa dignitati Ecclesiasticæ, quòd juri consentaneum est.

Sed ecce! magnis ausibus se nobis opponunt Adversarij, varijs jurium, rationumque armis instructissimi, quæ deprimere conati sunt partim ex *lib. 2. Feud. tit. 21.* ubi habetur casus, quo miles vasallus, nullos relinquens liberos, postquam arma bellica deposuit, & sæculo renuntiando Religionem intravit, conatus fuit, feudum, donec vixerit, retinere; sed judicatum est, Domini vel agnati conditionem esse potiore, eò quòd desijt esse miles sæculi, qui factus est miles Christi: nec beneficium pertinet ad eum, qui non debet gerere officium. Partim ex *cit. lib. 2. Feud. tit. 26. §. 4. v. si Clericus.* ubi similiter expressis verbis asseritur: quòd qui Clericus efficitur, aut votum religionis assumit, hoc ipso feudum amittat. Partim ex *eod. lib. 2. tit. 30.* ibi: *Ex hoc illud descendit, quòd dicitur, Clericum nullo modo in beneficium paternum debere succedere, etiamsi postea quàm habitum religionis assumpserit, postposuerit. Idem in omnibus, qui habitum religionis assument, ut conversi. Hi enim nec postea in feudo succedunt, & si quòd habent, perdunt.* Partim ex *d. lib. 2. tit. 36.* in quo Clericus æquiparatur muto, surdo, cæco, & claudo taliter nato, ac sicut de isto, ita quoque de illo dicitur, quòd feudum retinere non possit; quia ipsum servire non valet. Partim ex *tit. 109. Feud. 2.* ubi jure, & moribus receptum esse dicitur, vasallum Clericali se militia dedicantem feudum amittere: scriptum est enim in divinis eloquijs: miles Christi serviat Christo; milites sæculi serviant sæculo. Id quòd plures apud

apud Fachin. *loc. cit. c. 26.* ad S. Ordinis Equites Melitenses, aliosque similes extendunt. Hi namque, licet arma bellica non deponant, tamen propter susceptæ Religionis obligationem Domino suo neque debita servitia præstare, neque iuramentum fidelitatis observare possunt.

4 Et profectò, si isthæc armorum structura ipsi quoque Marti, Bellonæque horribilis videtur, quidni etiã nobis, quamvis Germanis? Sed tamen, aut Germani non sumus, aut unico responsionis ictu omnem simul armaturam conteramus: vel saltem, ne quidquam nobis officiat, unico distinctionis clypeo avertamus, dicendo: præfata jura eo saltem casu procedere, & Clericos, ac Religiosos feudorum incapaces esse, si hæc exigant servitia militaria ab ipsomet vassallo præstanda: secus autem esse, si feudum servitia militaria exigat quidem, ita tamen, ut per substitutum præstari possint; & multò magis, si feudum sit francum, & ab obsequio personali liberum; vel si obsequium sit reale v. g. in pensione pecuniaria consistens; vel si sit quidem personale, sed quod etiam Clericus, vel Religiosus honestè obire valeat. His namque omnibus casibus prorsus nihil impedit, quò minùs etiam Clerici, & Religiosi feuda jure accipere queant; aliàs certè etiam feminæ feudorum incapaces forent, quia & istæ ad obeunda servitia militaria minùs idoneæ reputantur, per ea, quæ tradidi anno elapso in meo *Bello jurid. c. 4. §. 1. n. 4. in fin.* ubi vide.

5 Quantum ad textum ultimo loco ex *2. Feud. tit. 109.* allatum pro superflua cautela illud solùm obiter adnotare placeat, quòd authoritatem decisivam non obtineat: quia libri Feudorum non nisi quoad Capita ordinaria, id est, quoad omnia Capita libri primi, & secundi usque ad Titulum 58. inclusivè, non verò quoad extraordinaria, id est, quoad reliqua Capita, authentici sunt, ut rectissimè ad

vertit Clariss. Dn. D. Wolter Collega mihi Colendissimus in *Quest. select. q. 8. n. 14. & seqq.*

CONTROVERSIA XIX.

An Legitimati per subsequens Matrimonium succedant in Feudo?

SUMMARIA.

1. Pro declaratione Controversia offertur species facti. 2. Adstruuntur fundamenta Negative. 3. Stabilitur sententia nostra affirmativa. 4. Eliduntur conatus Adversariorum.

UT paucis, ac in una, eademque Controversia plures simul includeremus materias, adeò hanc præ multis alijs seligere placuit, utpote, quæ non tantummodò de Feudo, verùm etiã de Legitimatione, de Matrimonio, ac de Successione mentionem facit.

Igitur pro hujus insignis Controversiæ pleniori intellectu, pone: Narcissum extra statum matrimonialem habuisse commercium carnale cum Flora virgine, vel vidua honesta, ex eaque suscepisse filium Florimundum. Hic quàm primùm miserando suo vagitu lucem salutavit, paternas aures, cor, totumque animum adeò affecit, ut Narcissus, supremo quasi commiserationis ictu percussus, pro Florimundi celeri legitimatione Floram vinculo matrimoniali sibi copulare deperaret. Vinculo hoc post plura annorum curricula tandem per mortem Narcissi dissoluto, Florimundus, sicut quoad defuncti patris bona, ita etiam quoad feudum, olim forsitan Narcisso pro se, suisque heredibus à Principe concessum, successionem prætendit. Quæritur: juri conformis sit hæc prætensio, nec ne? Ubi

Ubi primâ statim, & quasi contractâ in rugas fronte Jovem lapidem, aut certè si, ita loquendo, capriciosus es, insuper per Capricorni, Jovis collactanei, Barbam jurares, Florimundi prætensionem juri omnino dissentaneam esse. Idque tam sacrè, & inviolatè, quasi Jovis suffragio, probare intendis. I. Hoc modo: In Feudis generaliter succedunt, qui ex primi acquirentis sanguine legitimè descendunt, & agnati sunt. 2. *Feud. tit. 11. & notat Gothofred. ad §. naturales. lit. B. 2. Feud. tit. 26.* Atqui legitimati cognati sunt, non verò agnati. *l. hac parte. 2. ff. Unde cognati.* Ergò succedere nequeunt in feudo.

II. Si Florimundus jure prætenderet successionem in Feudo, hoc vel maximè proveniret ex fictione juris, quâ nimirum legitimati per subsequens matrimonium æquiparantur legitimè natis in *c. tanta. 6. Qui filij sunt legit. §. 2. Inst. de Hered. qua ab intest. l. 10. in fin. l. 11. in princ. Cod. de Natur. lib. Nov. 89. c. 8. in princ.* Sed hæc ratio non est: partim quia in jure Feudorum fictiones locum habere non videntur; partim quia etiam legitimati per rescriptum Principis legitimè natis æquiparari videas in *d. Nov. 89. c. 9. §. 1. de quibustamen, quòd in feudis nequeant succedere, plus quàm certi juris est, per textum in d. §. Naturales. 2. Feud. tit. 26.*

III. Si prætensio Florimundi juri consentanea, recta, justaq; foret, tunc hanc suam rectitudinè, ac justitiam in acceptis referret vel Juri Canonico, vel Civili, vel denique Feudali. Atqui nihil horum dici potest. Non primum: quia, cum hic versemur in materia profana, & adiaphora, nec rationem peccati continente, jus Canonicum contra generalitatem juris Feudalis contrarium disponentis, nihil potest. *arg. c. 2. ibique Gloss. V. lex civilis. de Arbitr. in 6.* Non secundum: quia in materia feudali ad jus Civile decurri non debet, nisi eo demum casu, quo jus feudale deficit: strenuo namque

Jurisperito, tum demum lege scriptâ absque calumniâ uti permittitur: si sibi casus emerit, qui consuetudine feudi non continetur. *d. Feud. tit. 1. in fin. princ.* Non denique tertium: quia præfata Florimundi prætensio Juri Feudali non tam conformis, quàm penitus contraria videtur per *sex. in lib. 2. Feud. tit. 26. §. naturales.* ubi apertis terminis habetur: quòd *naturales filij, licet postea fiant legitimi, ad successionem Feudi nec soli, nec cum alijs admittantur.* Qui textus eum loquatúr generaliter, ac inter legitimatos per rescriptum Principis, & legitimatos per subsequens matrimonium nullam ponat differentiam, generaliter quoque tam de istis, quàm de illis exaudiendus est, per ea, quæ tradit Clariss. Dn. D. Franz. in *Exerciti. Mensr. de Success. ab intest. §. 2. n. 73.*

Confirmatur: Ex eo, quòd textus nullam ponat differentiam inter legitimatos per rescriptum, & legitimatos per oblationem Curie, rectè inferitur, quòd tam de istis, quàm de illis exaudiendus sit. Ergo etiam ex eo, quòd textus nullam ponat differentiam inter legitimatos per rescriptum, & legitimatos per subsequens matrimonium, rectè inferitur, quòd tam de istis, quàm de illis exaudiiri debeat, adeò, ut prædicti §. *Naturales.* verus sensus esse videatur: quòd naturales filij, quamvis postea, id est, post natiuitatem suam sive per rescriptum Principis, sive per oblationem curie, sive per subsequens matrimonium legitimi fiant, ad successionem feudi non admittantur. Quòd autem *postea* referri debeat ad natiuitatem naturalium, non verò ad mortem vasalli, inde saltem colligitur: quia aliàs neque legitimati per rescriptum, tempore viventis Vasalli impetratum, à successionem feudi excluderentur, eo ipso, quòd textus de illis solum loqueretur, qui legitimi fiunt post mortem Vasalli, qui sensus & textui, & menti Feudistæ omnino contrarius apparet.

hòup, istinos, unobiv, sup. Q. 2. v. unogual, sup. Ve.

Verumtamen præfatio tuo juramento, tuisque capricijs nihil obstantibus, æquior nobis videtur causa Florimundi; ejusque prætentio juri conformior. Inprimis namque expediti juris esse, nemo ignorat, quòd filij legitimi tanquam plenissimo filiationis, & agnationis jure gaudentes, sicut in bonis Allodialibus, in *denen Freygeignen Güttern* / ita quoque in Feudalibus, in *denen Lehen-Güttern* / succedant. 2. *Feud. tit. 11.* Ergo idem erit de legitimatis per subsequens matrimonium: quia & isti plenissimo filiationis, & agnationis jure fruuntur, utpote qui legitime natis per omnia æquiparantur. *in d. §. 2. Inst. de Hæred. qua ab intest. l. 10. & 11. Cod. de Natural. lib. Nov. 89. c. 8. in princ. & maxime in d. c. 6. Qui fil. sint leg.* ubi tanta dicitur esse vis matrimonij, ut, qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur.

Deinde si legitimati per subsequens matrimonium æquiparantur legitime natis quoad successionem in Allodijs, quoad Episcopatus, aliasque dignitates, per tradita à P. Engl. *lib. 3. Decret. tit. 26. §. 2. n. 8.* & textus est in *c. innotuit. 20. de Elect.* ubi taliter legitimatus admittitur ad Episcopatum: cum tamen regulariter requiratur, ut Episcopus ex legitimo thoro sit progenitus. *c. cum incunctis. 7. in fin. X. Eod.* nulla prorsus apparet ratio, cur non idem obtinere debeat quoad successionem in Feudis: præsertim quia in Allodialibus, ubi agitur de translatione ipsius proprietatis, multò gravius vertitur præjudicium, quàm in Feudalibus, ubi solum agitur de translatione ususfructus. Et certè majus est, posse aliquem promoveri ad Episcopatum, quàm in feudo succedere; adeoque cum legitimati per subsequens matrimonium capaces sint dignitatis Episcopalis, multò magis capaces erunt successionis Feudalis.

Accedit ingens certitudo, quæ evidentè constat, quòd

præscindendo à jure feudali, & stando præcisè in Jure Canonico, & Civili, legitimati per subsequens matrimonium, sicut in alijs, ita quoque in feudis, adinstar legitimorum, succedant; ergo defacto succedunt: quia juxta immediatè dicenda jus Feudale hac in parte nihil novi disposuit; aut certè, si quid dispositum videatur, id non nisi subobscurum, & planè dubium est, quo casu, non attentà hâc dubiâ dispositione, standum erit juri Canonico, & Civili claro: quòd enim non expressè invenitur correctum, cur stare prohibeatur? maxime quia Conditores juris Feudalis nullatenus ignorârunt, quid per leges Romanas de legitimatione per subsequens matrimonium statutum fuerit. *arg. 1. Feud. tit. 1.* ideòque cum potuerint, nec tamen contrarium expresserint, contra eos necessariò fieri debet interpretatio, ita jubente vulgatâ regulâ *in c. contra cum. 57. de R. J. in 6.* Atque ita in ardua quadam causa per Dominos Camerales decisum esse, refert *Mynsing. Singul. Observat. cent. 5. observat. 42.*

Quibus sic explicatis, & à te benè captis, quasi rugatam frontem nonnihil explicare, benevolentiam à nobis captare, & sereniori vultu prætensionem Florimundi adorare velles, sic nobis videris. Ita est equidem: sed & sic nobis videris: quasi ab omni prioristæ opinionis, ac jurisjurandi vinculo liber esse cuperes; Bene est! bonè te jubemus esse animo: quia absolutionem præstabimus ad beneplacitum, dicentes: *Minorem primi* argumenti esse falsam: cum *in cit. l. 2. ff. Unde cognat.* absque nulla mentione legitimatorum, solum explicetur, quinam dicantur cognati, & quomodo bonorum possessionem petere valeant? prætereaque nihil.

Ad secundum præterquam quòd ex dictis abundè constet, quo jure Florimundus successionem in feudo rectè prætendat, illud insuper negari non potest, fictionibus etiam in jure

iure Feudorum locum habere *arg. 2. Feud. tit. 11. ubi locus conceditur iuri representationis, quod tamen, quin fictio sit, multum dubitare non licet. §. 6. Inst. de Hered. qua ab intest.* Quod autem dictum fuit: etiam legitimatos per rescriptum Principis filijs legitimè natis æquiparari; hoc in quibusdam concedi potest, non verò in omnibus, in quibus æquiparantur legitimati per subsequens matrimonium, utpote quos Jura longè majori favore dignantur, quàm legitimatos per rescriptum, per jura suprà *v. 3.* allegata.

Ad *tertium* amplius non repetimus, cuiam Juri prætenso Florimundi rectitudinem, ac justitiam suam referat in acceptis, sed satis esse arbitramur, si textum *in cit. §. naturales*, generaliter loqui negaverimus: quia loquitur solummodò de legitimatis per rescriptum, ut ibidem satis exprimitur, si non formaliter, saltem æquivalenter, & immediatè postea pluribus demonstrabimus.

Ad *Confirmationem*, inter legitimationem per oblationem curiæ, & legitimationem per subsequens matrimonium disparitas est, quod prior fieri possit etiam post mortem defuncti patris, non verò posterior, ac propterea; quamvis illa in textu comprehenderetur, secus tamen foret de ista: siquidem genuinus illius §. sensus est, quod naturales filii, quamvis postea, id est, post mortem vasalli fiant legitimi, ad successionem feudi non admittantur: adeò ut *ly. postea* referri debeat ad mortem vasalli; quo sensu comprehendi nequeunt legitimati per subsequens matrimonium: quia hujusmodi legitimatione mortuo semel vasallo impossibilis evadit. Quod verò *ly. postea* rectè possit, & per consequens ad evitandam jurium correctionem referri debeat ad mortem vasalli, inde satis colligitur, quia textus loquitur de casu, quo contentio est in-

est inter Dominum, & agnatos defuncti, ut apertè indicat præposita ibidem Rubrica.

Neque inferas, ex hoc sequi, quod per *d. §. naturales*, à successionè feudi non excluderentur legitimati per rescriptum, tempore viventis vasalli impetratum: nam sicut malè inferas, ita quoque minùs rectè id sequitur: quia de legitimatis per rescriptum sive post, sive ante mortem vasalli, una, eademque pugnat exclusionis ratio. Unde à primo ad ultimum, sicut Florimundus, per subsequens matrimonium tanquam legitimus factus, non constituit subjectum *ditti §. naturales*, utpote qui pro subjecto suo tantum habet filios naturales, ita quoque à successionè feudi ibidem non excluditur, & per ultimum consequens juxta rectam, justamque ejus prætensionem, feudum jure ipsi adjudicandum.

CONTROVERSIA XX.

Liceátne Judici ad eliciendam Rei confessionem simulationes, aut blanditias adhibere?

SUMMARIA.

1. Quibus modis pervertatur judicium humanum? 2. 3. & 4. Ad officium Judicis quanam præcipue pertineant? 5. Suaderur affirmativa, eaque nostra Sententia. 6. Afferuntur quidem nonnulla Objectiones. 7. Sed brevi, levi que responsione enervantur.

Cùm juxta *c. 78. causà 11. q. 3.* Judicium humanum quatuor modis perverti dicatur: timore, dum metu potestatis alicujus veritatem loqui pertimescimus: cupiditate, dum præmio animum alicujus corrumpimus: odio, dum contra quemlibet adversa

versariam molimur: amore, dum amico, vel propinquo com-
placere contendimus. Idem Judex vir bonus sit, oportet, incor-
ruptus, constans, prudens, & sine ullo respectu, vel affectu
personarum ad omnes æqualiter se habens. Unde

2 I. Abstinere debet ab acceptatione munerum, & tan-
quam vir justus, manus suas ab omni munere excutere. Isa.
33. v. 19. munera namque excacant oculos sapientum, ac
prudentum, & subvertunt verba justorum. Exod. 23. v. 8. &
Deuter. 16. v. 19. Quapropter pulchre Isid. lib. 3. de summ.
bon. c. 58. relatus in c. 66. causâ 11. q. 3. inquit: qui recte
judicat, & premium remunerationis expectat, fraudem in De-
um perpetrat: quia justitiam, quam gratis impertiri debuit, ac-
ceptatione pecunia vendit. Bonis male utuntur, qui juste pro
temporali lucro judicant. Tales quippe ad veritatem non justitia
defensio, sed amor præmii provocat: quibus si spes nummi
subtrahitur, confestim à justitia defensione recedunt. Acceptio
nummorum pravaricatio veritatis est.

3 II. Judex cavere debet, ne flectatur amore, odio, irâ,
timore, precibus, amicitia, vel propinquitate, juxta c. 79.
& seq. causâ 11. q. 3. ubi dicitur: quicumque aut consanguini-
tate, aut amicitia, & contrario vel hostili odio, vel inimicitia
in judicando ducitur, pervertit judicium Christi, qui est justitia,
& fructum illius vertit in amaritudinem. Cui bellè concinit
D. Ambros. in c. 4. caus. 3. q. 7. Bonus judex, inquit, nihil ex
arbitrio suo facit & domestica proposito voluntatis, sed juxta le-
ges, & jura pronuntiat, statuti juris obtemperat, non induget
propria voluntati, nihil paratum, & mediatum domo deferri: sed
sicut audit, ita judicat, & sicut se habet negotii natura, deter-
nit: obsequitur legibus, non adversatur, examinat causa me-
rita, non mutat. Discite judices seculi, quem in judicanda te-
nere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam sinceritatem.

Qui

Qui judicat non voluntati suæ obtemperare debet, sed tenere,
quod legum est. In judicando magis cordi sit veritatis custodia,
quam obedientia voluntatis. Veritatis, inquit, custodia. Unde

III. Judex sectari debet veritatem, prudenter in omni-
bus inquirendo, examinando, respondendo, obijciendo &c. 4
juxta c. 11. causâ 30. q. 6. ubi Elotharius Papa ait: judican-
tem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plenâ inquisitione
discutere, interrogandi, respondendi, obijciendique præbitâ pa-
tientia ab eo, ut ibi actio ambarum partium illuminata sit ple-
niter, nec litigantibus prius judex velit suâ sententiâ obviare,
nisi quando ipsi jam peractis omnibus nihil habeant in questione,
quod proponant: & tandem actio ventiletur, quousque ad rei
veritatem perveniatur. Veritatem itaque sectabitur judex,
& conformiter Scripturæ Exod. 23. v. 1. & 7. non tan-
tùm alienum mendacium non suscipiet, sed etiam propri-
um fugiet: Hoc namque sicut à quovis alio bono viro, ita
quoque, imò multò magis à Judice, utpote qui veritatis a-
mantissimus esse debet, vitandum est, prout eruditè tradit
Eximius P. Otto Aicher in Histor. quart. Monarch. lib. 3. c. 3. q.
3. in fin. Quâ de causâ Judici nullatenus licet, reum pro-
missione impunitatis, veniæ, vel pœnæ mitigationis ad con-
fitendum inducere. Vel enim scit, quod Princeps pœnam
reo non sit remissurus; vel nescit; vel ipse condonandi,
aut mitigandi jus, ac potestatem habet? Si primum: Judex
absque dubio mendacium incurrit, eo ipso quòd veniam, aut
impunitatem promittat, quam scit à Principe denegandam.
Si secundum: similiter malè agit, quia veniam pollicetur,
ejus dandæ nullam habet potestatem. Si tertium: sicut
quivis alius, ita & Judex fidem datam sanctè servare tenetur.
c. noli existimare. 3. causâ 23. q. 1. juncto c. 1. & 3. de Pact.

Sed quid? anne Judici ad eliciendam Rei confessionem

R

ui

uti liceat simulationibus, & blanditiis? Id quod, non multum hæsitantes, affirmamus, & sic ostendimus: In Bello justo licitum est uti insidijs, ut plura probant Scripturæ loca, velut *Jud. 20. v. 29. 2. Reg. c. 5. v. 19.* & constat ex *c. Dominus. 2. causâ 23. q. 2.* ubi S. Augustinus, postquam enarravit factum Josue, cui Dominus *Jos. 8. v. 2.* præcepit, ut ad insidiandum hostibus constitueret sibi terroribus insidias, seu insidiantes Bellatores, paulò post subnectit, nihil ad justitiam interesset, utrum is, qui justum bellum suscepit, apertâ pugná, vel insidijs vincat? Ergo similiter in judicio justo uti licet simulationibus: quia sicut nec illæ, ita neque istæ veritati, aut justitiæ repugnant. Ad hæc: Si Salomoni, ad perscrutandam maternam affectionem, simulare licuit divisionem infantis. *3. Reg. c. 3. v. 25. juncto c. 2. de Prasumpt.* Quidni & hodie id ipsum judicij licere debeat?

Accedit: quòd Advocatus, justam habens causam, licitè decipere possit Adversarium juxta *Gloss. in d. c. 2. v. insidijs. causâ 23. q. 2.* per textum *in c. 1. causâ 4. q. 4.* Ergo pariformiter judex justum habens judicium, justamque inquirendi, & perscrutandi causam, licitè uti poterit simulationibus, iisque Reum decipere. Imò, ut inquit Hieronymus *in c. utilem. 21. causâ 22. q. 2.* ipse Dominus noster non habens peccatum, nec carnem peccati, simulationem peccatricis carnis assumpsit, ut condemnans in carne peccatum, nos in se faceret justitiam Dei. Unde conformiter huic sententiæ de seipso testatur Farinac. *in Pr. crim. part. 3. q. 81. n. 306.* quòd Reos sæpius blanditijs, quàm torturâ ad confessionem adegerit. Et appositè canit Ovidius:

Fallere fallentem, fraudemque refellere fraude,

Exemplòque licet ludere quemque suo.

Verùm contra hæc fallere nos tentas, dum objicis primò:
Judi.

Judici secundum paulò ante dicta nunquam licet mentiri; ergo eidem neque licebit uti simulationibus: has namque speciem mendacij præferre, apparet, dum simulator aliud gestibus, aliud animo intendit, & blandiens mel in ore, fel in corde, & fraudem in factis habere videtur. *Secundo*: Judex justè, quòd justum est, exequi debet. *Deuter. 16. v. 20.* Ergo cum simulationes, & blanditiæ, tanquam fraudes quædam, & deceptiones, ad justitiam pertinere non videantur, Judex jisdem uti haud poterit. *Tertiò*: Quòd Judex sibi ipsi non vult fieri, id neque alijs facere audeat. *Matth. 7. v. 12.* Atqui Judex non est contendus, quòd sibi à Reis fieri velit simulationes. Ergo neque ipse Reis easdem facere debebit.

Ast falleris: quia juxta S. Thom. *2. 2. q. 40. art. 3. falli quis potest dupliciter.* *Primò*: si ei dicatur falsum, vel non servetur promissum; quo modo alterum fallere, aut quid simulare, nunquam est licitum: quia tales simulationes admixtum habent mendacium. *Secundo*: falli quis potest ex dicto, vel facto nostro: quia consilium, vel propositum nostrum ei non aperimus, quo modo simulatio est licita: cum ad aperiendum alteri nostrum propositum, vel consilium non semper adstringamur, sicut in sacris quoque paginis multa continentur, quæ propalari non debent per *c. in mandatis. 2. dist. 43.* Neque putandum: quasi simulationes, & blanditiæ mendacium, fraudem, aut dolum malum contineant; quia Judex jisdem non utitur ad decipiendum, sed solùm ad fraudes Reorum excludendas, per *l. 1. §. 2. & 3. ff. de Dolo malo.* Cæterùm sicut ipse Judex, si Reus esset, vitio vertere non posset legitimo suo Magistratui aliquid simulanti; sic quicumque alius Reus Judicem suum propter simulationes, aut blanditijs, aliuscujus mendacij vel injustitiæ minus rectè insimularet.

CONTROVERSIA XXI.

Utrum accusatis, vel inquisitis jure deferatur Juramentum super criminibus, de quibus accusati, vel inquisiti sunt?

SUMMARI A.

1. *Controversia celebritas, Authorum, ac sententiarum varietas, & status nostri propositi.* 2. *Usque 8. Quomodo gravibus fundamentis innititur Negativa.* 8. & seqq. *Ita non minus firmis rationibus solidatur Affirmativa.*

Questio hæc, quantum in foro, & praxi frequentior, tantò in Scholis celebrior est, ac in plures diversas partes ventilatur à plurimis, ut videre est, apud Innocent. in c. 2. n. 1. de *Confessis*. Panormit. in eod. c. 2. n. 16. & 20. nec non in c. 1. n. 21. de *Juram. calum.* Gomez tom. 3. c. 12. n. 5. & alios ab his laudatos. Quidam enim absolutè in negativam, alij contra absolutè in affirmativam abeunt. Nonnulli differentiam ponunt, & forum Canonicum separant à foro Civili, addèd ut de isto negent, de illo autem juramentum accusato propterea deferri posse existiment: quia in hoc non inferitur poena sanguinis. Alij denique, alijs aliter sentientibus, distinguunt: an accusatus, vel inquisitus de perjurio suspectus sit, nec ne? Nos equidem hanc eandem Questionem hinc ventilabimus, & tam in *Negativa*, quam *Affirmativa* rationes, ac fundamenta inquiremus in præsentem: nostram tamen desuper mentem, sicut in futurum differimus, ita tempore actualis defensionis ad sciscitantis beneplacitum promptissimi aperiemus.

Igitur

Igitur Sententiæ *Negative* fundamenta fermè sequentia sunt, & primum desumitur ex c. *si peccaveris*. 19. *caus. 2. q. 1.* & c. *quis aliquando*. 87. *Si his auctoritatibus. & non tibi dico.* *diff. 1. de Pœnis.* unde Doctores colligunt, quòd nemo teneatur se ipsum prodere; & patet ex d. *¶* qui ita habet: *non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque ut te apud alios accuses.* addèd ut vel hoc ipso inferendum videatur, quòd, sicut accusatus, vel inquisitus nullam habet obligationem se ipsum prodendi: ita quoque iudex nullam interrogandi, aut juramenti exigendi potestatem obtineat.

Secundum depromitur ex c. *Clericos*. 3. de *Cohabit. Clerico*. & *mulier.* ubi Clerici, qui publicè tenent concubinas, ad eas abjurandas compelli prohibentur; ergo neque compelli poterunt ad præstandum juramentum super proprijs criminibus. *Probatum Conseq.* Idèd enim compelli nequeunt ad abjurandas concubinas: quia subest periculum perjurij, & timendum, ne in eandem fornicationem instinctu diabolica fraudis redeunt, perjurij reatum incurrant; ergo similiter compelli nequeunt ad jurandum super criminibus: quia subest periculum perjurij, & timendum, ne amore vitæ, aut famæ, vel timore pœnæ, perjurij reatum incurrant. Et certè speciatim quoad Clericos

Tertium fundamentum subministrat generalitas textuum tum in c. 1. & 3. *caus. 2. q. 5.* ubi Cornelius ad Rufum Episcopum Orientalem scribit: *Sacramentum hætenus à summis Sacerdotibus, vel Dei ministris exigi, nisi pro fide recta, minimè cognovimus, nec spontè eos jurasse reperimus.* Item: *Nos Sacramentum Episcopus nescimus oblatum, nec unquam fieri debet.* Tum in c. 4. ead. *caus. & q.* ubi præcipitur, ut Presbyter vice Juramenti per sanctam consecrationem interrogetur. Tum in c. 1. de *Juram. calum.* ubi Honorius II. Divi Marci constitutio-

R 3

nem

nem interpretans, & recipiens, dignum esse inquit, ut totus Clericalis Ordo à Juramento calumniæ præstando immunis sit, & nec Episcopus, nec Presbyter, nec cujuscunque ordinis Clericus, nec Abbas, nec Monachus, nec Monialis, in quacunque causa, sive controversia, seu criminali, seu civili jurandum subire compellatur.

5 *Quartum* desumi potest ex varjis Juris Civilis locis, ut puta: ex *princ. Inst. de Publ. Judic.* ubi habetur, quòd publica Judicia neque per actiones ordinentur, neque omnino quidquam simile habeant cum cæteris judiciis; ergo cum in cæteris, subintellige, in Civilibus judiciis, Juramenta à Reis exigì possint; hinc à contrario in Criminalibus exigì haud poterunt. Et sanè, si idèd super crimine pacisci, transigere, & adversarium suum corrumpere licet, quia ignoscendum est ei, qui sanguinem suum qualiterqualiter redimere intendit. *l. 1. ff. de Bon. cor. qui ante sent. mort. sibi conscio. l. transigere 18. C. de Transact.* Quidni etiam eadem de causâ delictum negare, aut saltem dissimulare licebit? adèd ut vel hoc ipso iudex nullam deferendi Juramenti potestatem habere videatur: cum enim jus ac potestas interrogandi, & obligatio respondendi sint correlativa, idèd ubi non datur obligatio respondendi, ibi neque datur interrogandi, aut deferendi Juramenti legitima potestas, seu talis, quæ accusatum, vel inquisitum ad respondendum, vel præstandum juramentum adstringeret.

6 *Quintum*, & valde firmum argumentum deducitur ex *l. 4. & 9. ff. de Testibus.* in quibus dicitur, quòd consanguineus intra certum gradum, de quo ibi fit mentio, cogi non debeat ad dicendum testimonium adversus consanguineum; ergo neque, imò multò minùs quis cogi debet ad dicendum testimonium adversus se ipsum, præsertim in causa criminali. *Probatnr Conseq.* Idèd namque consanguineus cogi non potest ad

ad perhibendum testimonium contra consanguineum: quia tale testimonium tenderet ad dissolvendum vinculum propinquitatis, naturalis affectionis, & amoris, magisque crudelitatem saperet, quàm charitatem spiraret. Ergo multò minùs quis cogi potest ad dicendum testimonium contra se ipsum: quia revera accusatus, vel inquisitus nulli tam propinquus est, quàm sibi ipsi, ac propterea magis crudelis esset, si contra se ipsum, quàm si contra consanguineum deponeret: nec rectè observaret legem charitatis, quæ, ut benè ordinata sit, à se ipsa incipiat, oportet juxta *c. si non licet. 9. causa 23. q. 5.* ibi: *quoniam regulam diligendi proximum à semetipso dilector accipit.*

Ultimum huic sententiæ fulcrum supponit ratio: quòd nulli liceat alterum ad peccandum inducere, vel ad hoc ei causam præbere: talis namque sicut is, quem ad actum peccaminosum inducit, ita & ipse peccati reus est: quemadmodum, qui non repellit à socio injuriam, non minùs, quàm ille, qui facit, in vitio esse dicitur *in c. non in inferenda. 7. causa 23. q. 3.* Ergo neque Judici licitum erit accusato, vel inquisito juramentum deferre super crimine: quia certam quasi causam, & tantò majorem stimulum præbet ad perjurium, quantò charior cuique esse dignoscitur propria salus, honor, membra, vita, & fama; & per consequens ipse quoque Judex juxta *c. 1. 4. 5. & 6. causa 22. q. 5.* tantò magis reus erit perjurij, quantò majorem certitudinem vehemens inducit præsumptio, quòd nimirum jurans sanguinem suum qualiterqualiter, sive verum, sive falsum dicendo, redempturus sit. Unde Brunnem. *in Proc. inquisit. c. 8. n. 77.* Germaniæ praxin, & Clarus *lib. 5. sent. 5. ult. q. 45. n. 9.* Italiæ consuetudinem, quæ ab accusatis, vel inquisitis talia juramenta exiguntur, jure meritò improbare videntur. Sed e contra

Fundam.

8 Fundamenta sententiarum affirmativa, si non firmitiora, saltem æqualis firmitatis esse apparent. Nam primò tam de jure Canonico, quàm Civili generale est, quòd Juramentum calumniae præstari debeat in omni lite, & causa, c. 1. & 3. cum seqq. X. & 1. 2. lib. 6. de Jurament. calumn. c. 2. de Testib. in 6. clem. 2. & citationem, de V. S. & 1. 1. Cod. de Jurejur. propter calumn. dand. Ergo ab hac generalitate non est recedendum, sed potius generaliter asserendum, quòd Juramentum exigì possit, & præstari debeat tam in causa criminali, quàm civili. arg. l. 8. ff. de Public. in rem act. Præsertim quia in d. c. 1. soli Clerici à præstando hoc Juramento immunes esse dicuntur, seu in causa criminali, seu civili: adeò ut, argumento à contrario sensu, laici in utraque causa Juramentum de dicenda veritate, & non committenda calumnia, necessariò præstare teneantur, conformiter legi 1. Cod. Eod. ubi Juramentum de calumnia in omnibus causis præstandum asseritur. Imò nec Clerici, saltem in causis propriis, exempti sunt. c. 5. & ult. de Jurament. calumn. & magis patebit ex dicendis.

9 Secundo: Si Clerici compelli possunt ad abjurandas illegitimas uxores, juxta c. ex literarum. 2. Qui fil. sint legit. ubi Alexander III. approbare videtur factum Cenoman. Episcopi, qui Subdiaconum ad abjurandam feceminam, quam sibi in conjugem copulaverat, compulit. Item si Clerici sub Juramento adigi possunt ad dicendam veritatem super his, quæ sciunt, vel credunt reformanda, juxta c. qualiter. 17. & c. cum dilectis. 18. de Accusationib. nulla sanè apparet ratio, cur cogi nequeant ad præstandum Juramentum de dicenda veritate super crimine: quia non minùs in priori, quàm in posteriori casu periculum perjurij subest.

10 Tertio: Si in c. 5. causa 2. q. 3. specialiter dicatur: Presbyter, vel quilibet Sacerdos, si à populo accusatus fuerit, & certò non

non fuerint testes, qui crimini illato approbent veritatem, jusjurandum in medio erit, & illum testem proferat de innocentia sua paritate, cui nuda, & aperta sunt omnia. Item si universim in foro Canonico accusatis, vel infamatis deferri potest purgatio Canonica, quæ proprio juramento de innocentia sua se purgare tenentur d. c. 5. & c. 13. c. 17. c. 19. causa 2. q. 3. c. 1. de Confess. c. 8. de Cohabit. Cleric. & Mulier. & 1. 1. de Purgat. Can. nullum planè videtur superesse dubium, quin accusato, vel inquisito deferri queat juramentum super crimine, de quo accusatus, vel inquisitus est.

Quarto. Hanc sententiam comprobare juvant lex 36. in princ. ff. de Rei vind. ubi, quia actori datur potestas inquirendi, reus conventus per consequens respondere tenetur: an dolo desierit possidere, nec ne? Lex. 20. ff. de Interrog. in jur. fac. ubi in jure interrogatus: an fundum possideat? respondere cogitur, quorà ex parte fundum possideat: vel quorà ex parte ejus sit prædium, si de damno infecto caveatur. Lex 3. §. 1. ff. de Jurejur. unde colligitur, in qualibet actione, vel causa etiàm poenali, jurandum esse. Lex 11. §. 1. & 2. ff. de Alt. rer. amot. ubi si actor, actionem rerum amotarum instituens, velit magis jusjurandum deferre, cogitur adversarius jurare: nihil divortii causà amotum esse. Lex 5. §. 8. ff. de Injuriis. ubi lege Cornelia actori permittitur jusjurandum deferre, ut reus juret, se iniuriam non fecisse. Lex ult. in fin. Cod. de Fid. instrum. ubi jurandum, & respondendum esse colligitur super causa falsitatis. Deniquè Lex. 1. & 1. 1. ff. de Questionib. ubi, cum quis de veritate facti, vel delicti proprii respondere cogatur per tormenta: à fortiori, & multò magis cogi poterit per juramentum.

Quinto: Si esset ratio, cur ab accusatis, vel inquisitis nequeat exigì juramentum, hæc vel maxime staret in periculo

S

per-

perjurii, ad quod deferens eos invitaret, & pejerandi ansam præberet, ac per consequens quasi ipse perjurus fieret; atqui hæc ratio non est: tum quia is demum perjuri participem se reddit, qui, dum juramentum exigit, vel alium ad jurationem provocat, scit, eum falsum esse juraturum. *c. 1. c. 5. & 6. causâ 22. q. 5.* Tum quia, sicut quivis præsumitur bonus. *arg. c. absit. 14. causâ 11. q. 3. & c. ult. de Præsumpt.* ita etiam quivis existimandus est, quod potius diciturus sit verum, quam falsum, & majorem animæ, quam corporis curam habiturus. Imò etsi iudex sciret, reum falsum juraturum, posset tamen ad alterius petitionem licite ab eo Juramentum exigere: quia, ut inquit S. Thom. 2. 2. q. 98. *art. 4.* non tam iste, quam ille hoc fecisse videretur.

Sexto denique, suffragantur locorum consuetudines, usus, & praxis, de qua à viro fide dignissimo, & in jure verfatissimo non pridem fideli calamo narrata mihi venerunt sequentia formalia: *Praxis*, videlicet exigendi ab accusatis vel inquisitis Juramentum super criminibus, *antiquissima est*, ac *observata in omnibus Curis Ecclesiasticis, & secularibus, Roma etiam in ejus dignioribus tribunalibus, & quod magis est, in supremo illo, & auctoritatem faciente Sanctissima generalis Inquisitionis: attamen in Congregatione Concilij hæc quæstio disputatur, cujus resolutionem cum tempore rescribam.* Ut iste promissit, sic ego expecto, tu interim, quamnam sententiam oppugnare velis, delibera, & pro deliberatione confer Clariss. P. Robert. König, Confratrem, & Collegam meum Colendissimum *lib. 5, Decret. tit. 1. n. 82.*

CON.

CONTROVERSIA XXII.

An, & quomodò liceat aliquid exigere, dare, & accipere ab eo, qui ad Canonikatium, vel aliud beneficium recipitur?

SUMMARIA.

1. *Controversia dignitas, & status.* 2. *Pro Collatione ex pacto nihil licet accipere.* 3. *Secus si spontè post Collationem quid offeratur.* 4. *Quid si aliquid gratis offeratur ante Collationem?* 5. *An quid accipere liceat pro speciali labore?* 6. *& seqq. Quid hæc in parte liceat vi statuti, vel consuetudinis?*

Controversiæ antecedenti similis, & in praxi frequentissima est hæc præsens: an nimirum, & quomodò liceat aliquid exigere, dare, & accipere ab eo, qui ad Canonikatium, vel aliud beneficium recipitur? Pro-cujus facilliori, clariorique discussione

Dicimus I. Illicitum est, aliquid exigere, vel dare pro ipsa ad Canonikatium, vel beneficium admisione, vel ejus collatione. Ratio est: quia talis admissio, vel collatio est aliquid spirituale, sicut etiam admissio ad religionem, per textus in *o. non satis. 8. c. veniens. 19. & c. quoniam. 40. de Simon.* adeoque si ex pacto, vel accedente conventionem pro his aliquid exigatur, & solvatur, erit simonia formalis.

Dicimus II. Licitum est aliquid dare, vel accipere, si detur citra exactionem, taxationem, pactum, aut conventionem omninò liberè, & gratis. *c. 2. in fin. caus. 1. q. 2. c. 30. in fin. & c. 34. §. fructu. de Simon.* Ratio est: quòd tali casu

res spiritualis non deducatur in commercium, & obligationem pro re temporali, tanquam ejus pretio, sed munus solummodo datur ostendendi grati animi causâ. Sic liberalis suorum bonorum oblatio cuilibet religionē ingredienti etiam de jure civili permittitur. *l. 1. & auct. ingressi. Cod. de SS. Eccles.* nullam simoniz speciem præfert. Sic quoque in praxi fieri videmus donationes, quibus remunerantur Episcopi, Ecclesias, vel altaria consecrantes, hæcque licitas esse dubitare non sinit textus *in c. etsi. 18. in fin. de Simon.* ubi ordinatio, vel consecratio non censetur simoniaca, etsi Ordinatori aliquid citra pactum donatum fuerit. Id quod vel maximè verificatur, si donatio, vel remuneratio tunc domum facta est, postquam res spiritualis jam fuit obtenta. v. g. postquam præsentatio, collatio, vel admissio ad Canonicatum, vel beneficium jam fuit facta. Nam

4 *Dicimus III.* Illicitæ sunt donationes, quas ille, qui pro beneficio supplicat, Collatori, vel admittenti ad beneficium, antecederet ad collationem, vel admissionem offert. Ratio est; quia tales donationes sapiunt speciem simoniz, eo ipso, quod animum Collatoris movere possint, ut potius minus digno, aut etiam indigno, quàm illi, qui dignior est, beneficium conferat. Unde similes donationes tum propter scandalum, & malam consequentiam, tum propter affectionem simoniacam non tantùm in foro externo, poenâ dignas esse, sed etiam in foro animæ peccatum inducere tradit P. Engl *lib. 5. Decret. tit. de Simon. n. 7. in fin.* per textum *in d. c. 18. & quod autem.* Quamvis de cætero donatorem à formali simonia propterea excuset: quia munus, seu donum non offert tanquam pretium beneficii, sed idèd solum, ut Collator ad collationem beneficii ex gratitudine antidotali obligetur.

8 *Dicimus IV.* Si in collatione, vel admissione ad beneficium

cium labor, præsertim extraordinarius, & specialis interveniat, licitè pro hoc aliquid dari, & accipi potest. Ratio est: quia labor corporalis, utique pretio æstimabilis, nullam ponit materiam simoniz. Et sanè si pro labore in administranda justitia, in exequendis dispensationibus, in benedicendis nuptiis, in celebranda Missa, in administrandis Sacramentis &c. licitè aliquid datur, & accipitur per ea, quæ tradunt Gloss. *in Clem. statutum. 7. V. expensa. de Elect.* Sanchez *de Matrim. lib. 8. disp. 35. n. 10. & 11.* cum P. Engl *loc. cit. n. 19. & seqq.* cur non etiam pro labore in collatione, vel admissione ad beneficium specialiter exhibitio? cùm non videatur major de uno, quàm de altero, sed par utriusque esse ratio,

Dicimus V. jure communi licitum est, vi statuti, vel consuetudinis aliquid accipere in admissione alicujus ad Canonicatum, vel beneficium, si illud, quod à noviter recepto dari statutum, vel receptum est, applicetur causis piis v. g. fabricæ Ecclesiæ, vel Sacriliæ &c. *Probatur* hæc conclusio partim ex *Conc. Trid. sess. 24. de Reformat. c. 14.* ubi sancta Synodus illas solum solutiones, promissiones, deductiones fructuum, & compensationes detestatur, quæ *in usus pios non convertuntur.* Ergo quæ in usus pios, in fabricam Ecclesiæ, vel Sacriliæ, in subsidium pauperum, redemptionem captivorum &c. convertuntur, licitæ erunt, nec ullam simoniz speciem continent. Partim ex constitutione novissima Innocentii XII. *de die 22. Septembris Anno 1695.* quæ approbatur, confirmatur, & innovatur Bulla Pii V. quæ incipit: *Durum nimis.* ubi idem S. Pontifex, Decretis præfati Concilii Tridentini inherens, similiter in electione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus Cathedralis Ecclesiæ, vel beneficii, Canonicatum, aut præbendam, illas solum fructuum reservationes, compensationes,

& solutiones prohibet, quæ in usus pios non convertuntur. Addit tamen novam, & in Concilio Tridentino non contentam limitationem, quâ statuit: ut ubicunque hujusmodi distributiones, aut fructus Fabricæ, vel Sacristiæ, aut alterius pij loci usibus ultra semestre tempus reperiuntur concessi, horum duntaxat dimidia pars ipsi Sacristiæ, vel Fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur, alteram verò Beneficiati integrè percipiant.

7 Imò Hostiens. apud Panormit. in c. *Jacobus*. 44. n. 2. de *Simon*. ait: quòd valeat consuetudo, & à principio cautio recipi possit, ac licitum sit, petere aliquod paramentum, vel aliquid aliud tendens ad cultum divinum per c. *significatum*. 11. de *Præbend.* & c. *significasti*. 4. de *Elect.* quasi hoc casu Deus cum Canonico permutet spirituale cum spirituali. Sed forsitan melius dicit Panormitanus, dum *loc. cit.* n. 3. distinguit: an nullum subsit statutum, vel consuetudo, an verò subsit? Si prius: nihil exigi posse asserit, etiam in cultum divinum convertendum. Tum per c. *veniens*. 19. de *Simon*. ubi ab ingrediente religionem, etiam prætextu consuetudinis, non potest aliquid exigi, quamvis hoc applicetur Ecclesiæ. Tum per c. *tu nos*. 34. *Eod.* ubi non licet bona temporalia dare Ecclesiæ, ut ex illis fiat præbenda, quæ postea conferatur Canonico recepto. Tum per c. *ex multis*. 7. *constituimus*. 9. *causâ* 1. q. 3. ubi ab instituendo, vel instituto non licet in recompensationem institutionis aliquid temporale peti, quamvis hoc convertatur in pauperes, vel in fabricam Ecclesiæ: quia, ut ibi dicitur, qui malè accipit, & benè dispensat, potius gravatur, quàm juvatur. Si posterius: aliam adhibet subdistinctionem, dicens: vel statutum imponit onus præbendæ, vel ipsi recepto, aut recipiendo? Priori casu, licitum est, aliquid exigi in favorem cultus divini. *arg. d. c. 11. de Præbend. c. un.*

Ut *Ecclesiast. benef. & c. 10. de Rescript. in 6.* Posteriori casu, statutum, quo noviter recipiendus, vel receptus Ecclesiæ paramentū dare tenetur, forsitan non valet, per jura supra allegata.

8 Cæterum notanter suprâ dictum fuit: *de jure communi licitum est, vi statuti, vel consuetudinis aliquid in collatione, vel admissione ad beneficium dare, vel exigere, si illud applicetur causis pijs.* Item notanter hæc Panormitani distinctionem attuli: quia, ut inquit *Garcias de Benef. part. 8. c. 1. n. 87.* de extero non poterit fieri statutum, ut aliquid solvatur in usum pium, juxta Declarationem S. Congregationis, quæ ibidem relata sic habet: *Non potest de cætero ex quocunq; statuto imponi, ut aliquid solvatur in locum pium, veluti pro fabrica, vel sacristia Ecclesiæ, nisi fuerit à Papa ex certa scientia approbatum.* Imò adhuc aliam ibid. n. 89. declarationem refert sequentis tenoris: *Nec potest Episcopus convertere id, quod datur pro admissione in usum pium, cum hujusmodi admissiones, cedentes tamen in propria lucra, sine sublata.* Unde cum *Navar. & Joann. Gut.* infert, quòd post Concilium Tridentinum non possit pro rebus pijs capi id, quod capi consuevit pro commodo proprio.

9 *Dicimus VI.* Illicitum est, in collatione, vel admissione ad Canonicatum, vel beneficium aliquid, quantumvis modicum, vi statuti, aut consuetudinis etiam immemorialis à noviter recipiendo exigere, & si quid datum, aut simpliciter, sive juratò promissum fuerit, id omne, unâ cum tali statuto, vel consuetudine, de jure nullum, & irritum est. Ita communis. Et in specie tenent Panormitanus, Felinus, Decius, Ripa, Rebuffus, Gutierrez, Lopez, Humada, Card. Tuschus, Sylvester, Armilla, Rodriguez, Vega, Palatius, & Lessius, quos laudat *Garc. de Benef. d. part. 8. c. 1. n. 83.* Quibus suffragantur textus aperti, & irrefragabiles in c. 9. s. 36. in fin. &

c. 44. de Simon. Extrav. sanè. Eod. Deinde in Concil. Trid. Sess. 24. de Reformat. c. 14. ibique Declarationes S. Congregationis. Accedit suprà allegata Constitutio Pij V. cum Bulla novissima Innocentij XII. ubi omnes, & quæcunque exactio- nes in institutionibus, & admissionibus Canonicorum, ac Beneficiatorum, quocumque modo hætenus usitate, non obstantibus quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alià roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorialibus. Atque hæc jura tanquam per se clara, & sola inspectione, ac lectione contenta, ulteriori dilucida- tione non indigent.

10 Sed quid: ane igitur damnabimus locorum statuta, & consuetudines, præsertim Germaniæ, de qua testatur P. Er- nic. Pirhing. lib. V. Decretal. fol. 4. S. 3. n. 91. quod, etsi in allegatis juribus reprobetur consuetudo exigendi prandium, vel convivium, vel quodvis aliud temporale pro receptione Canonicorum, tamen hoc passim, præsertim in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis non observetur, sed receptum sit, ut novi Canonici convivium dare, & in quibusdam locis etiam pecuniæ summam Capitulo persolvere teneantur. Quam consuetudinem nec ipse damnare ausus est: quia, ut inquit, ab Episcopis toleratur, imò etiam à Papa, quem tam generalem consuetudinem integræ nationis ignorare non est verosimile. Ita ille.

11 Verùm nos respondemus, quod, sicut nobis nulla dam- nandi potestas est, ita quoque præfatas consuetudines damnare non præsumamus; quod si verò, secundùm jura præallegata, à SS. Pontificibus hætenus fuerunt damnatæ, nemo sanè nobis vitio verteret, quod, ut decet, juribus conformiter loqua- mur. Cæterùm non multùm hæsitamus, quin hodie post prædictam Bullam novissimam Innocentij XII. de die 22. Septembr.

Septembr. ann. 1695. ipse quoque P. Pirhing mentem, & vo- cem suam muraret, ac unà nobiscum sentiret: siquidem ra- tio, propter quam non est ausus talem consuetudinem dam- nare, hodie eo ipso locum non habet: quia lucidè con- stat, quod Papa, sicut generalem consuetudinem integræ na- tionis non ignoravit, ita quoque, priores constitutiones inno- vando, eandem minimè toleraverit, & ne ab Episcopis to- leretur, districtè præceperit, quemadmodum jam ante præ- ceptum fuerat, tum per constitutionem Pij V. Durum nimis: tum per Concil. Trid. d. Sess. 24. de Reformat. c. 14. ibi: qua, id est, Turnorum lucra, solutiones, promissiones, compen- sationes, fructuum deductiones &c. cum sancta Synodus dese- stetur, mandat Episcopis, ut quacunque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos, qui simonica labis, aut sordida avaritia suspicionem habent, fieri non permittant; ipsiq; diligenter de eorum constitutionibus, sive consuetudinibus cog- noscant, & illis tantùm, quas ut laudabiles probaverint, excep- tis, reliquas ut pravas, & scandalosas, rejiciant, ac aboleant.

Sed quid demum? ane illam quoque consuetudinem à jure reprobam dicemus, de qua idem P. Pirhing loc. cit. lo- quitur, dum ait: quod non possit damnari consuetudo, & praxis, si tempore receptionis ad Canonicatum, vel benefici- um detur aliquid temporale citra exactionem, spontè, & li- beraliter, nullòque pacto interveniente, etsi id, quod datur, non ad usus pios, sed proprijs convertatur? Respondemus: Si munera, & oblationes dentur post collationem, aut ad- missionem factam, merè liberaliter, talem usum nihil bonis moribus adversum involvere, per textus, & Glossas relatas à P. Pirhing cit. lib. V. n. 91. & secundùm ea, quæ suprà n. 3. diximus. Interim talis usus eo ipso propriè consuetudo dici nequit: quia nullam inducit obligationem, sed libero Bene-

ficiati arbitrio relinquit, velintne aliquid offerre, nec ne? Quod si verò prædictæ oblationes, quamvis liberales, & spontaneæ, contingant ante collationem, vel obtentam beneficij possessionem, non omninò ab omni simoniz labe depurgatæ videntur, quia saltem aliqualem simoniz speciem præferunt, ac propterea prohibitas esse, probavimus supra n. 4.

CONTROVERSIA XXIII.

Utrum mulier ratione dotis ijs quoq;
Creditoribus præferatur, qui antiquiorem
hypothecam expressam habent?

SUMMARIA.

1. Controversia celebrat. 2. Hypotheca alia expressa, alia tacita: & hac alia conventionalis, alia legalis, & quid? 3. Mulieres in bonis mariti tacitam hypothecam habent in qua præferuntur alijs, similiter tacitam, quamvis anteriorem habentibus. 4. Proponitur Controversia. 5. Rationes Negativæ. 6. Rationes Affirmativæ. 7. Enumerantur fundamenta negativum.

SI Imperator Justinianus, ut ipse fatetur in famosa l. *assiduis*. 12. in *princ. Cod. Qui pot. in pignor.* assiduis aditionibus mulierum inquietatus est, per quas suas dotes deperditas esse lugerant, & ab anterioribus creditoribus substantias maritorum detentas; sequitur sanè, hanc de mulierum prælatione materiam in foro non minùs celebrem, ac frequentem esse, quàm materiam cujusque alterius controversiæ, hætenus à nobis tractatæ. Proinde de magno hoc mulieribus concessio prælationis favore pauca dicturi, juxta monitum nostri Joann. Gerfen de *Imitat. Christ. lib. 1. c. 8. n. 1.* absque alicujus mulieris fami-

familiaritate, in communi omnes bonas mulieres Deo commendamus, ac præterea in earum favorem

Prænotamus: Hypothecam aliam esse expressam, aliam verò tacitam. *Expressa* vocitatur, quando nominatim, & expressa partium conventionem res hypothecæ supponitur. *Tacita* est, quæ tamènta tacite, & absque tali expressa conventionem inducitur; ac rursùm subdividitur in conventionalem, & legalem. *Ille* appellatur, quando res ipso facto, ac solo partium tacito consensu pignori necitur: cujus exempla sunt in l. 2. 3. 4. 6. & 7. ff. *In quib. caus. pign. vel hypoth. tac. contrah.* *Ista* dicitur, quæ citra ullum hominis factum à sola lege immediate constituitur. Quinam autem tales tacitas hypothecas constitutas habeant, iusto ordine enumerat Clariss. P. Robert. König *ib. 3. Decret. tit. 21. n. 11.* Quibus accensentur mulieres, in omnibus maritorum bonis pro restituenda dote tacitam hypothecam legalem habentes. *c. ex literis. 5. de Pignorib. §. fuerat. 29. Inst. de Actionib. l. an. §. 2. Cod. de rei uxor. act. & d. l. 12. §. 1. Cod. Qui pot. in pignor.* ratione cujus præferuntur illis, qui tacitas hypothecas, quamvis anteriores, habent, prout rectè advertit Clariss. P. Honorius Aigner meus quondam in Theologia Professor Observandissimus in exquisita sua *Scætera justitia part. 1. q. 3. art. 5. conclus. 3. 7. Tertio.* & luculentè contat ex d. l. 12.

Verùm utrum mulier ratione dotis ijs quoque creditoribus præferatur, qui habent antiquiorem hypothecam expressam, admodum controversum est? *Negant* Gloss. in d. c. 5. *V. favor. de Pign. Bart. in d. l. 12.* ibique ex Cyno, & Angelo notat Gothofr. *lit. O. Covarruv. 1. Var. resol. c. 7. n. 1. 7. Tertia conclusio. Zab. in d. §. 29. n. 24.* & ibi *Jaf. n. 72.* & Gomez *n. 27. Inst. de action. cum Molin & Layman,* quos refert, & sequitur Clariss. P. Honor. Aigner *loc. cit.* Nec sine ratione:

Siquidem I. generalis, & vulgatissima est regula: prior tempore, potior jure. *cap. 54. de Reg. Juris in 6.* Ergò, cum mulieres quoad anteriores hypothecas expressas non inveniuntur nominatim privilegiatæ, hujus regulæ generalitati necessariò inhaerendum erit, ac tamdiu standum, donec adversarij textum clarum adduxerint; quod attentare quidem, nunquam verò efficere posse videntur. II. Textus est *in l. ubi adhuc. 29. Cod. de Jur. dot.* ubi mulieribus solum conceditur, ut res vindicare possint vel à creditoribus mariti posterioribus, vel ab alijs, qui non potiora jura legibus habere noscuntur: Ergo evidens quasi signum est, eas creditoribus anterioribus nullatenus preferri. III. Fiscus non præfertur creditoribus priorum hypothecam habentibus. *l. si pignus. 8. & ibi Gothofred. tit. M. & seqq. ff. Qui potior. in pign. l. si fundum. 4. Cod. Eod.* Ergo neque mulier: hanc namque fisco æquiparari, & pari passu cum eo ambulare invenies *in l. 2. & in ijs, quæ ibi notat Gothofred. Cod. de privil. Fise.* IV. Potest textus *in d. l. 12. Cod. Qui potior. in pign.* juxta plurium interpretationem ita intelligi, ut solum loquatur de creditoribus habentibus anteriorem hypothecam tacitam, ac tantummodò quoad hanc mulieres præferri dicat; Ergo etiam ita intelligi debet: quia privilegium mulieribus quoad prælationem concessum, utpote cedens in grave præjudicium aliorum creditorum, tanquam odiosum, non tam extendendum, quam omni possibili modo restringendum est: siquidem concessiones Principis ita semper intelligendæ sunt, ut nemini noceant. *per c. 15. de Offic. deleg. c. 11. de Foro compes. l. 40. ff. de Administr. & peric. tutor. l. 2. §. 10. ff. Ne quid in loco publ. Anteced. prob. ex verbis textus, qui habet: Sancimus ex stipulatu actionem, quam mulieribus jam pro dote restituenda dedimus, cuiusque etiam tacitam domavimus inesse hypothecam, potiora jura contra omnes habere*

habere mariti creditores, licet anterioris sint temporis privilegio vallati. Unde apparet, quòd Imperator loquatur de mulieribus, quæ agunt ex stipulatu, & tacitam hypothecam habent, adeò ut vicissim etiam loqui videatur de creditoribus anteriorem quidem, non tamen expressam, sed solum tacitam hypothecam habentibus, ac in hac tantummodò mulieribus beneficium prælationis concessisse censendus sit. V. Provisio hominis excludit provisionem legis, prout patet *ex l. fin. Cod. de Pact. convens. & exemplum subministrat l. 1. in prin. ibique Gothofred. tit. M. ff. de Testam. sus.* ubi successio, & tutela testamentaria excludit successionem, & tutelam legitimam. Ergo etiam prior hypotheca expressa per conventionem hominum celebrata, excludit hypothecam tacitam legalem: siquidem lex eripere non solet jus propriam industriam alicui semel quæsitum; eam non adimat, quod non dedit. Contra

Affirmant Fachin. *Controv. jur. lib. 3. c. 99.* Zoëf. *in Comment. ad Digest. lib. 20. tit. 4. n. 18.* cum alijs apud Panormit *in c. ex literis. 5. n. 8. de Pignarib.* & ita in judicio Camere decisum esse refert Mynsing. *Singul. observat. cent. 4. observat. 13.* Probatur autem hæc sententia partim *ex c. fin. de Sent. & re jud.* unde colligitur, in dubio, sicut Matrimonij, libertatis, & testamenti, ita quoque dotis causam potiorum esse; adeoque cum dubium sit: an mulier, creditoribus anteriorem hypothecam expressam habentibus, ratione dotis præferatur? pro hac standum, ac judicandum erit. Partim *ex Nov. 97. c. 4.* ubi mulier illi solum non præferretur, qui aurum occasione militiae, sive statutum fieri, vel pro alijs quibusdam talibus causis credidit, & expressim hoc ipsum scribatur in instrumento, & in hoc fiat pactum; alijs verò omnibus prævalere dicitur secundum privilegium jam ante concessum. Partim *ex l. inter-*

l. Interdum. §. ff. Qui potior. in pign. ubi is, qui credidit in rei refectionem, præfertur alijs, priorem hypothecam expressam habentibus, prout exponit Panorm. *in d. c. 5. n. 8. de Pignor.* Ergo id ipsum multò magis obtinebit in muliere, utpote quã etiam illis, qui in rei refectionem crediderunt, præferri constat ex *d. Nov. 97. c. 3.* unde subintrat regula ex *c. 7. in fin. de Concess. præb. in 6. & l. 14. §. 2. ff. de Divers. tempor. præscrip. desumpta*, videlicet: *qui vincit vincit te, multò magis vincit te.* Partim ex generalitate textuum, tum in *d. Nov. 97. c. 3. in fin.* præsertim ibi: *minui autem eis dotem nullo finimus modo.* Ergò neque propter priorem aliorum hypothecam expressam. Tum in *eàd. Nov. c. 4. in fin.* ibi: *alijs omnibus prævalere mulierem.* Tum in *Nov. 109. c. 1.* ibi: *quia enim dedimus privilegium mulieribus dotium, ut etiam prioribus creditoribus præponantur.* Tum denique & maximè in *d. l. 12. §. 1. Cod. Qui pot. in pign.* ubi Imperator generaliter sancivit, ut mulieres *potiora jura contra omnes habeant mariti creditores, licet anterioris sint temporis privilegio vallati.* Si contra omnes; ergò etiam contra eos, qui habent priorem hypothecam expressam: qui enim omne dicit, nihil excludit. *c. 1. §. dicendo verò. dist. 19. l. 19. ff. de Legat. 3. l. 147. ff. de R. J.* Planè ex omnibus prædictis constitutionibus luculenter apparet, quòd Imperator prolixè admodùm favere intenderit mulieribus, quem tamen finem minimè assecutus fuisset, si illis non nisi contra hypothecas tacitas privilegium concessisset.

7 Atque his pro utraque parte ita positis fundamentis nobis Affirmativæ subscribere, & cum Panorm. *in d. c. 5. n. 8. in fin. de Pignor.* mulieribus favere lubet; nihil obstantibus in contrarium adductis argumentis, quæ ut iusto ordine resolvamus, dicimus: *primum* esse nimis bonum, ac plùs probare, quàm ipsis Adversariis charum; quia manifestè sequeretur, mulieres neque illis creditoribus præferri, qui habent

hypothecam anteriorem tacitam, cum & isti tempore priores sint, quod tamen apertè falsum esse, per textus satis claros paulò ante ostendimus. *Secundum* quod attinet, præterquam quòd ex immediatè data responsione quasi in totum ruat, inde quoque subsistere nequit: quia jura & privilegia mulierum non unico, ut ita dicam, instanti, sed paulatim invaluerunt, ac demum per *cit. leg. 12. §. 1. Cod. Qui pot. in pign.* perfectionem suam assecuta sunt, ut patet ex verbis: *Quis enim earum non misereatur propter obsequia, quam maritis præstant, propter partus periculum, & ipsam liberorum procreandem, pro quibus multa nostris legibus inventa sunt privilegia? Et ideo quod antiquitas quidem dare incepit, ad effectum autem non pertulit, nos plene legis articulo consummavimus.* Ad *tertium* dicimus fiscum vel solùm ante *cit. l. 12.* cum dote æquiparatum fuisse; vel hodie tantùm eatenus æquiparari, quatenus cum dote concurrat. Ad *quartum* negatur, quòd textus in *d. l. 12.* absque corruptione de solis creditoribus priorem hypothecam tacitam habentibus intelligi possit; de reliquo autem privilegium mulieribus concessum non tam restringendum, quàm extendendum videtur: quia non tam odiosum, quàm favorabile est, eo ipso, quòd principaliter in favorem mulierum introductum esse, & lex ex causa boni publici beneficium à se profectum potius limitare, quàm alieno derogare noscatur. Ad *quintum* respondemus distinguendo *Antecedens*: Provisio hominis excludit provisionem legis, si illa ab hac nudè suppleatur, esto. Si provisio legis sit principalis, & absoluta, negamus *Antec. & conseq.* Talis autem est in nostro casu: quia licet creditor suã industriã habeat hypothecam, non tamen habet prælationem, utpote quæ ex sola legis autoritate competit.

CONTROVERSIA XXIV.

An sponsalia de futuro per subsequens matrimonium cum alia contractum ita dissolvantur, ut prior obligatio penitus extinguatur?

SUMMARI A.

1. *Quibus modis dissolvantur sponsalia? 2. Status Controversia. 3. Adstruitur, & solidatur nostra sententia. 4. Eliduntur machinationes adversa.*

Sponsalia de futuro varijs modis dissolvi, in propatulo est, velut I. per mutuum contrahentium consensum, vel potius dissensum. *arg. c. 1. de R. J. & l. 35. ff. Eod.* II. Per professionem in Religione approbata emissam. Nec mirum! cum ipsum quoque matrimonium ratum hoc modo sit dissolubile, ut ex *Concil. Trid. sess. 24. de Sacrament. Matrim. can. 6.* rectè tradit Clariss. P. Carolus Schrenck *in Centur. precip. assert. pag. 26. assert. 32.* III. Per susceptionem sacri Ordinis, saltem indirectè, quatenus talis ordo propter annexum votum castitatis constituit impedimentum dirimens Matrimonij ex postfacto contrahendi. *c. 7. dist. 32. & c. 6. de Cler. conjugat.* IV. Ratione fornicationis cum alia persona post contracta sponsalia intervenientis, ita ut pars innocens habeat liberam resiliendi potestatem, *c. quemadmodum. 25. de Jurejur.* V. Propter longiorem sponsi absentiam, ut si seclusâ causâ justâ, cum nulla, aut omninò exigua spe brevioris reditus, in terram longinquam proficiscatur. *c. de illis. 5. de Sponsal.* VI. Per lapsum termini finiendis sponsalibus appositi. *c. 22. Eod.* VII. Per quodvis superveniens impedimentum dirimens matrimo-

nij

nij. g. si superveniat impotentia, cognatio, affinitas. VIII. Denique in ordine ad nostrum propositum dissolvuntur sponsalia de futuro per subsequencia sponsalia de presenti *d. c. 24. & 31. Eod. c. 1. de Spons. duor.* & non tantum de hoc ultimo, sed de omnibus prædictis modis videti poterit Rmus Maurus Oberascher *de Sacrament. part. 2. tract. 2. c. 1. §. f. per tot.*

Sed quid? anne sponsalia de futuro per subsequens matrimonium, cum alia contractum, omninò dissolvantur, & dedò ut, casu quo matrimonium per mortem, vel professionem religiosam cesset, nulla maneat amplius obligatio redendæ ad priorem sponsam, si hæc resiliendam denudò in matrimonium habere velit. Ut ecce! rem totam sic tibi fingo, & in sequenti facti specie ad oculos ita depingo: Sempronius celebravit ante aliquot septimanas sponsalia de futuro cum Caja; paulò post poenitentia ductus non attento sponsalicio contractu injustè resilit, & vinculo matrimoniali conjungitur cum Titia, quæ uno, alteròve post contractum matrimonium die elapso, mortis fato tacta viam universæ carnis ingreditur. Quo audito Caja instat, petitque à Sempronio, ut cessante jam impedimento promissionem prius sibi de contrahendo matrimonio factâ adimpleat. Quæritur: jurène id petat, nec ne? Ad quod respondemus, petitionem Cajæ per omnia juri conformem esse, & per consequens, Sempronium, cessante omni aliâ justâ resiliendi causâ, ad exequendam suam promissionem obligari: quia prior obligatio per subsequens matrimonium solum fuit suspensa, non oriata omninò extincta.

Id quod sequenti discursu nos evincere posse, nihil hæsitamus, videlicet: Si in præposita facti specie obligatio priorum sponsalium per subsequens matrimonium fuisset omninò extincta, hoc proveniret vel ex natura rei, vel ex constitutione

V

tione

tutione juris; Atqui neutrum dici potest. Non primum: quia ex natura rei non implicat, quin obligatio sponsalitia cum obligatione matrimoniali rectè consistere queat, non quidem, ut prior obligatio durante matrimonio executioni manderetur, sed solùm ut eo stante suspensa, & sopita maneat, ac demum eo dissoluto reviviscat, quod sanè convenientissimum videtur, ne is, qui matrimonium malitiosè contraxit, commodum inde sentiat, & per suum delictum partem innocentem jure semel quæsito privet. Non secundum: quia textum nullum inveniens, quo talis omnimoda obligationis extinctio exprimat, ut statim patebit ex resolutione objectionum. Præterea per hoc, quòd quis emissio ingrediendæ religionis voto matrimonium contrahat, non omninò dissolvitur voti obligatio, sed durante matrimonio solùm suspenditur, ita ut vovens, post matrimonij dissolutionem votum adimplere, & religionem ingredi teneatur: quia totalis extinctionis nulla apparet necessitas. Ergò similiter per hoc, quòd quis contractis sponsalibus de futuro contrahat matrimonium, prior obligatio non omninò dissolvitur, sed saltem suspensa manebit, & matrimonio dissoluto reviviscet: quia neque hic ulla totalis extinctionis necessitas est, cum secundùm dicta, nulla videatur implicatio, quòd minùs obligatio sponsalitia cum obligatione matrimoniali rectè consistere queat.

4 Neque opponas *primò*: obligatio voti ingrediendæ religionis ideo per matrimonium non omninò extinguitur: quia est diversæ rationis cum obligatione matrimoniali: Ergo è contra obligatio sponsalitia per supervenientem obligationem matrimonialem omninò extinguitur: quia obligationes istæ non diversæ, sed ejusdem rationis esse noscuntur. Nam contra est, quòd hac in parte nihil referat, num obligationes ejusdem

ejusdem, an verò diversæ rationis sint? sed sufficiat, quòd diversæ sint personæ, & secunda obligatio non cedat in prioris creditoris commodum, sed potius in grave illius damnum, & præjudicium.

Neque opponas *secundò* sequentem casum, vendidi Paulo equum, aut mulum absque traditione, deinde autem, hoc contractu non obstante, eundem mulum vendidi Georgio, simulque tradidi: Georgius paulò post de priori venditione edoctus, tanquam vir conscientiosus, mulum mihi reddit, ac insuper, ut tantò prior recipere, vasculum vini, aut certè splendidas quasdam pecunias offert. In hoc, inquis, casu non ampliùs teneor mulum Paulo tradere: quia prior obligatio per posteriorem venditionem, tanquam validam, & ratione intervenientis traditionis fortiolem, sublata videtur, *arg. l. 15. Cod. de Rei vind.* Ergo neque in nostra facti specie Sempronius mortuam Titiam tenetur Cajam in uxorem accipere: quia prior obligatio sponsalitia per subsequens matrimonium, tanquam validum, & ratione accedentis traditionis fortius, sublata videtur *c. 22. & 31. de Sponsal. c. 1. de Spons. duor.* Nam contra est, quòd de equo, & mulo tuo tam appositè loquaris, quasi cum equo, & mulo nullus tibi esset intellectus: siquidem falsissimum est, quòd obligatio ex prima venditione descendens per posteriorem venditionem penitus extinguatur, & per consequens inposito casu obligatus maneat, redditum tibi à Georgio mulum Paulo tradere.

Neque opponas *tertiò*: Ad sponsalia nulla, & irrita nemo tenetur; sed in præfato casu prima sponsalia sunt nulla, & irrita; ergò Sempronius ad ea non tenetur. *Minorem probas ex d. c. 22.* ubi dicitur, quòd is, qui à sponsalibus resiliens matrimonium contrahit, primam suam fidem faciat irritam, adeò ut de ipsis quoque sponsalibus dicendum videatur, quòd

per subsequens matrimonium irrita fiant. Nam contra est, quod verba in d. c. 22. ibi: *primam fidem irritam fecit*, debeant intelligi, quatenus is, qui à sponsalibus resiliens matrimonium contrahit, non servat fidem primæ sponsæ datam, huicque justam præbet causam à sponsalibus resiliendi; vel quatenus primam suam fidem irritam fecit durante matrimonio.

7 Neque opponas *quarto*: Si alienum hominem promisi, & is à domino manumissus est, liberor, esse idem rursus lege aliquâ servus effectus sit, ut dicitur in l. 5. §. 8. ff. de Solutionib. Ergo similiter, si post inita sponsalia contraham matrimonium, liberor à priori obligatione, etsi casu aliquo matrimonium dissolvatur; quia par utriusque videtur esse ratio, quod nimirum obligatio semel extincta, semper extincta maneat, d. l. 15. §. 8. Nam contra est: quod tunc demum ab obligatione aliquis liberetur, si fuerit penitus & omnino extincta, quemadmodum in priori casu per manumissionem extinguitur obligatio tradendi alienum servum. Non verò si obligatio solum suspendatur, ut contingit in casu posteriori.

8 Neque opponas *quinto*: Obligatio ex voto ingrediendi religionem strictiorem, totaliter extinguitur per professionem in religione minus stricta. c. 5. de Regularib. in 6. Ergo etiam obligatio ex sponsalibus de futuro totaliter extinguitur per subsequens matrimonium. *Conseq. probas*: Ideo obligatio ex voto ingrediendi religionem strictiorem, totaliter extinguitur, quia obligatio ex professione, tanquam fortior, extinguit obligationem minus fortem ex voto simplici, sive, ut inquit textus: *quia voto priori, tanquam simplici per secundum solenne noscitur derogatum*. Ergo etiam obligatio ex sponsalibus de futuro totaliter extinguitur per subsequens matrimonium: quia obligatio ex matrimonio tanquam fortior extinguit

guit obligationem minus fortem ex sponsalibus. Nam contra est, quia in priori casu unus tantum, idemque est creditor Deus, cui res præstantior conceditur per professionem in religione laxiori, quam per votum ingrediendi religionem strictiorem. In posteriori verò diversi sunt creditores, ita ut unius commodum in alterius damnum cedat, ac propterea jus priori sponsæ semel quæsitum per subsequens matrimonium non omnino extinguatur, sed saltem suspendatur.

CONTROVERSIA XXV.

Quas lites, & causas defendendas suscipere possint Advocati, & causarum Patroni?

SUMMARIA.

1. & 2. *Objectum Advocatorum.* 3. & seq. *Advocatus an defendendam suscipere possit causam injustam?* 5. & 6. *Quid de causa desperata?* 7. & seqq. *Advocatus licite defendendam suscipit causam probabilem, etsi contraria probabilior videatur.*

Appendicis loco brevissimè hanc questionem subnectere lubet de Advocatis, & causarum patronis, utpote ad quorum officium vel maximè spectat Controversias, & causas fortes examinare, extricareque. Igitur, ne videamur ex numero illorum, qui Controversias, ac lites, non tam abbreviare, quam protelare nituntur, sine ulteriori ambage

Concludimus I. Objectum Advocatorum sunt lites, & causæ controversæ. Quod si enim universim *objectum* à verbo *obijcio* derivatum, dicatur omne illud, quod alicui potentie obijcitur, eamque terminat, ut rectè advertit Clariss. P. Marianus Lendimayr in *Quæst. Philos.* q. 1. n. 2. haud ineptè nos

nos dicere putamus, si dicamus, objectum advocatorum esse lites, & causas controversas: hæc namque Advocatis obijciuntur, eorumque cognitionem, intentionem, ac potentiam terminare noscuntur.

2 *Dices:* Objectum Advocatorum esse dicuntur nummi, aurum, argentumque; Ergo non Controversarum. *Resp.* Etiam nummos suo modo, & certo respectu Advocatorum objectum esse posse, dummodò nihil accipiant turpis lucri gratiâ.

3 *Concludimus II.* Advocatus nequit defendendam suscipere causam injustam. Ratio est: quia contra Scripturæ prohibitionem impio præberet auxilium, ac idem iram Dei mereretur. *Paralip.* 19. v. 2. Et sanè, quin contra justitiam peccaret, dubium non est, ac propterea si clientem de injustitia non admonuerit, sine scrupulo restituere teneretur. Si verò admonuerit quidem, sed tamen ad clientis instantiam à patrociniis non destiterit, & parti adversæ quocumque modo nocuerit, ad damnum illatum tam litis principalis, quam expensarum obligaretur. S. Thom. 2. 2. q. 71. art. 3.

4 *Dices:* tamen de Advocatis passim dicitur, quòd foveant injustas causas, & non tam solliciti sint, quid juris, quàm quid furis? *Respond.* Hoc tu equidem dicis, quia forsitan subinde de Advocatis malè audisti: nobis verò aliud suggerit textus. *in l. 1. §. 1. ff. de J. & J.* ubi universim Jurisperiti, juris justitiæque Sacerdotes non immeritò appellantur. Si Sacerdotes: quidni sacri, sanctique? Si sancti: quidni Superis comparandi, horumque; ad instar venerandi? Id quod tamè nō intelligimus de illis, qui nihil intelligunt: hi namque si ex imperitia, aut negligentia damnum inferant, ad hoc resarciendum obligantur, quia ex officio scire tenentur artem, quam profitentur, & con-

& convenienti peritiâ instructi esse, cum pro idoneis Advocatis se gerant. *Bannes 2. 2. q. 71. art. 4. dub. 2.*

Concludimus III. Idem quoque juris est de causis desperatis, utpote quas Advocati nec ab initio suscipere, nec ex post facto scienter prosequi audent. *auth. hodie. §. patroni. Cod. de Judicijs.* & nisi clientem hujus admonuerint, ad resarcienda damna, inde provenientia, omninò obligantur. S. Thom. d. q. 71. art. 3.

6 *Dices:* Si licitum est Medico, curare morbum desperatum: quidni etiam licitum erit Causidico postulare in causa desperata? *Respond.* cum S. Doct. *loc. cit.* disparitatem esse, quòd Medicus curando infirmitatem desperatam, nulli faciat injuriam; quòd secus est in Advocato, qui arte suâ abutendo lædit vel clientem, si perdidit, & hunc de injustitia, aut desperatâ causâ non admonuerit: vel partem adversam, si litem malitiosè eviderit.

7 *Concludimus IV.* Advocatus licitè defendendam suscipit quamecunque causam de jure probabilem, quamvis pars contraria sibi vel æquè, vel etiam magis probabilis videatur. Ratio est: quia *in d. auth. hodie. §. patroni. Cod. de Judicijs.* Advocati solùm prohibentur patrociniis suum præstare in causa improba, vel penitus desperata, & ex mendacibus allegationibus composita. Ergo si causa sit probabilis, & tantùm dubia, postulatio non prohibetur. Facit, quòd principalis, vel cliens, habens causam probabilem, se ipsum defendere possit, nec causam deserere teneatur; ergo id ipsum poterit per Advocatum c. 68. de R. J. in 6. modò adsit probabilis spes futuræ victoriæ. Vide Laym. *Theol. mor. lib. 1. tract. 1. c. 5. §. 3. n. 17.* Less. *lib. 2. de J. & J. c. 31. dub. 9. n. 53.* Ferdin. de Castr. *Palao Oper. mor. part. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 11. n. 2.* P. Haunold. *de J. & J. tom. 5. c. 3. Controv. 13. n. 543.*

Dices

Dices *primò*: Judici non licet sententiam ferre pro causa minus probabili, sed necessariò judicare tenetur secundum sententiam, quæ omnibus inspectis est probabilior, juriq; conformior, per tradita à Clariss. P. Ludov. Babenstuber in *Reg. mor. c. 4. art. 3. §. 4. n. 29.* Ergo etiam advocatus tenetur patrocinium suscipere illius causæ, quam censet probabilior. *Resp.* Disparitatem in eo siut esse; quòd Judex ex officio suo controversiam suâ sententiâ definire, & secundum exigentiâam justitiæ suum cuique adjudicare debeat; cùm econtra Advocati officium tantum sit, fundamenta juris, & facti judici præsentare, & rationes, quæ causæ sui clientis favere possunt, eum in finem proponere, ut Judex ipse examinet, videatque, an pro causa illa pronuntiare queat.

Dices *secundò*: Ad justum Bellum publicum opus est, ut Princeps, tanquam Bellum publicum movens, existimet causam suam esse probabilior; ergo etiam ad justum bellum privatum opus est, ut Advoratus, tanquam bellum privatum movens, existimet, causam sui clientis esse probabilior. *Resp.* diversam esse utriusque belli rationem: quia bellum publicum à Principe decretum, est quedam executio sententiæ jam antecederet à Principe lata; bellum verò privatum inter Advocatos talis executio non est, sed nuda quedam ad sententiam, & executionem præparatio, Clariss. D. Doct. Gletle in *select. Jur. quæst. ex 1. part. Pandect. q. 26. m. 10. in fin.*

Sed quid demùm: an liceat Advocatis pro suo patrocinio accipere pecuniam? Verùm hoc ænigma, utpote S. Thomæ 2. 2. q. 71. art. 4. pro interim Theologicum maneat, donec Juristis, hactenus solâ prædicâ *Affirmativâ* contentis, solutum fuerit satis.

Omnia ad majorem DEI Gloriam.



APPROBATIO

S. FACULTATIS THEOLOGICÆ.

Cùm in his selectis ex universo Jure Controversiis nihil profus occurrerit, à Fide Catholica, vel bonis moribus alienum, ideo censeo, easdem typis, ac luci publicæ committi posse.

P. MARIANUS LENDLMAYR,
Benedictinus Admontensis, SS. Theologiae Doctor, Celsissimi, & Reverendissimi Principis, ac Archiepiscopi Salzburg. &c. &c. Consiliarius Ecclesiasticus, & p. t. Facultatis Theologicae Decanus.



APPROBATIO
FACULTATIS JURIDICÆ.

THeses præsentés exhibent Controversias ex omni
Juris pagina Selectas, quæ cum sint ad solidissima
Jurium fundamenta terfissimè enodatæ, lucem pu-
blicam ac concertationem Academicam merentur.
Ita censeo

Locò Spectabilis D. Decani

JOANNES ANTONIUS LINDNER,
J. U. D. Cellissimi ac Reverendissimi Princi-
pis & Archiepiscopi Salisburgensis Consiliari-
us, & Almæ hujus Universitatis Pandectarum
Professor Ordinarius.

P A R E R G A

Problematicè defendenda.


1. **U**trum Constitutiones Pontificia obligent in Provinciis, absque facta in iis promulgatione. 2. An eadem Constitutiones non nisi post spatium duorum mensium, à die promulgationis computandum, obligent. 3. Constituantur ne actus merè interni obiectum, & materiam constitutionis Pontificia? 4. An dubitans in fide Hæreticus sit? 5. Possitne utroque jure Judicium petitorium cum omni possessorio cumulari? 6. Utrum à legatis pñs jure detrahatur facultas? 7. An in alienam sponsam de futuro committatur adulterium? 8. Utrum Matrimonium ex gravi metu initum etiam jure naturali irritum sit? 9. Possitne Vasallus super re feudali transigere? 10. Num impedimentum criminis incuratur ab ignorante. 11. Audeatne Judex judicare secundum allegata, & probata, quæ privatâ scientiâ noscit esse falsa. 12. Num reus in jure interrogatus teneatur fateri crimen? 13. Utrum infamis fiat tutor ob latam culpam remotus. 14. An quis ob alias quoq; causas in Nov. non expressas exheredari possit? 15. An sicut ad legitimam exheredationem requiritur causa expressa, ita quoq; ejus probatio. 16. Num ex metu gravi ordinatus teneatur ad servandam castitatem? 17. Possitne Clericus in causa temporali reconveniri coram judice laico? 18. Utrum decima non soluta sequantur possessorem prædii, ab eoque exigi possint? 19. Visentur ne sponsalia per appositam conditionem naturâ impossibilem? 20. An Institutio hæredis saltem de jure Canonico in alienum arbitrium conferrî possit? 21. Valeatne donatio omnium bonorum cum insinuatione? 22. An Clericus in causa temporali conveniri possit coram judice laico. 23. Utrum Clerici reddituum Ecclesiasticorum etiam superfluarum Domini sint? 24. Possitne Abbas benedictus ex commissione Episcopi subditis ejusdem Episcopi secularibus Ordines minores conferre. 25. An Doctores bullati eodem cum Doctores Academicis jure fruantur?

Notabilia Errata sic corrige.

- P**ag. 9. lin. 17. *emporalis*. lege. *temporalis*.
Pag. 10. lin. 10. *Henric. VII. l. VIII.*
Pag. 14. lin. 4. *Chidericum*. l. *Childericum*.
Pag. 19. lin. 10. *solent*. l. *solent*.
Pag. 42. lin. 7. *genium*. l. *gentium*.
Pag. 55. lin. 28. *fundamentia*. l. *fundamenta*.
Pag. 57. lin. 24. *dist. 3. f. dist. 63.*
Pag. 63. lin. 1. *Asclestasticis*. l. *Ecclesiasticis*.
Pag. 75. lin. 9. *winus*. l. *nimis*.
Pag. 80. lin. 9. *fen*. l. *sed*.
Pag. 92. lin. 20. *Givili*. l. *Civili*.
Pag. 121. lin. 20. *supremo*. l. *supremo*.
Pag. 123. lin. 15. *per. lege per.*
Eadem pag. lin. 21. *Nitulares*. l. *Naturales*.
Eadem pag. lin. 29. *egitimi*. l. *legitimi*.
Pag. 125. lin. 26. *nulla*. l. *ulla*.

Reliquos Erroros Lector benevolus humanitate sua corrigere non
dedignabitur.






800

801

Művelés
Vls ÁLLAMIGAZGATÁSI FŐISKOLA *201702*



Állam- és igazgat.

